ciati ſunt, quòd ut Cæſarem dominum, aut quemquam alium A præter Deum profiterentur, neque hortationibus ullis, neque minis compelli potuerunt. Nullius igitur aut ſexus, aut ætatis reſpectus fuit. Pueri, & adulti per varios ſunt cruciatus necati, *Sabell. lib. 3. En. 7.*

RICHARDUS Friſonum dux, Volfradi Senonenſis Epiſcopi, viri religioſi, & ſancti ſuaſu, & adhortatione commotus, ut Chriſtianam aſſumeret fidem: cùm jam baptiſmatis lavacro tingeretur, altero pede immerſo tantum, quærebat, Pluresne majores ſui in inferno, an in paradiſo cohabitarent? Reſponſum accepit, plures eſſe in inferno, tum educto pede à baptiſmate: Satius eſt, inquit, plures ſequar, quàm paucos: ibo, quò majores mei me vocant; & relicta Chriſti fide, ad priſtinam ſe convertit ſuperſtitionem. Sed non diù lætus hoc contemptu, tertia die ſubita morte correptus, interiit crudeliſſimè. *Cuſpin. in Cæſar.*

Superſtitio Sclavica Suantoviti Rugianorum idoli diù inter Boemos viguit, donec VENCESLAUS, princeps Boemiæ, impetratis ab Othone Cæſare divi Viti reliquiis, religionem mutavit. At ne ſic quidem memoriam Suantoviti delere B quivit: quippe qui nunc quoque nullam magis ſolennem ſalutationem habent, quàm eam, quæ fit ſub Viti nomine: excepturi enim vel hoſpitem, vel amicum peregrè advenientem, Vitei, ingeminant, quaſi à Suantovito conceſſæ ſaluti congratulantes: quia fortè ita evenit, ut peſte inter vicinos ncrebreſcente, ipſi duntaxat, qui Suantovitum colebant, à contagio integri, & incolumes permanſerint. *Dubra. lib. 1.*

Ex Hiſpania quingenti, & ampliùs, haud unius cultu religionis Viri initiati, quia FERDINANDI regis Catholici, Chriſtianæ pietatis obſervantiſſimi, edicto emendatiùs vitam agitare cogerentur, ſtareque Veteri religionis inſtituto, in Mauritaniam uno agmine tranſmiſerunt, ut inter impios impiè agerent, flagitium poſt Chriſtianam fidem conditam inauditum. *Sabell. lib. 9. Enn. 10.*

Conſtantiæ JUDÆI ſuperſtitionem ſuam abjurare cogebantur, aut perire anno Domini 1348. Anno pòſt Judæus facti pœnitens, igne domi ſubjecto ſe cum filiis duobus exuſſit, ex alto clamans, Judæum ſeſe moriturum. Quo incendio vicinia tota conflagravit. Anno 1390. Judæus alius flexis genibus C conſulem rogavit, uti extremo afficeretur ſupplicio, quòd ſuam religionem deſeruiſſet. Qui cùm nulla ratione ad ſaniorem mentem redigi poſſet, vivus exuritur. *Stumpſius.*

FRUCTUS SUPERSTITIONIS
BONUS.

Cùm captum eſſet Ilium, ACHIVI miſerati captivorum ærumnas, per præconem denuntiarunt, ut ſinguli ex liberis civibus, quod vellent, unum aliquod ſecum auferrent. Æneas igitur cæteris neglectis, cùm deos penates exportaret, Græci pietate viri permoti permiſerunt, ut id quoque, quod poſt Deos chariſſimùm haberet, ſumeret. At ille parentem Anchiſen extulit. Tum majori adhuc pietatis admiratione ducti, chariſſima quæque illi indulſere: obſcurè confitentes, eos, qui in deos pii eſſent, etiam natura inimicos, non irreverenter tractandos eſſe. *Ælian. l. 3. de Var. hiſtor. Xenophon. in Cynetico, & Q. Calaber lib. 13. & Virg. Æn. 2.*

ÆTHIOPES ajunt ſuæ erga deos pietatis præmium tuliſſe, quod nunquam ab externis regibus ſubacti ſunt: ſemper enim liberi permanſere. Etenim cùm multi magnis copiis, appara- D tuque adversùs eos profecti ſint, nullus tamen eorum imperio potitus eſt. Cambyſes quippe maximis viribus Æthiopes aggreſſus, & exercitum amiſit, & ipſe periculum ſubiit vitæ. Semiramis, & conſilii magnitudine, & rerum geſtarum fama excellens, cùm Æthiopiam intraſſet, deſperatione rerum ſubitò abſceſſit. Hercules quoque, & Bacchus univerſo peragrato orbe, ſolos Æthiopes etiam Ægypto conterminos, tum propter eorum in deos cultum, tum quia inexpugnabiles videbantur, intactos reliquere. *Diod. lib. 3. cap. 1.*

Ferunt, templum JOLAO nepoti ab Hercule conſtructum, tantæ majeſtatis Incolis fuiſſe, ut ſi à ſolitis deficerent ſacris, muti evaderent: rurſus ſi ſacra ſe perfecturos voverent, in priſtinam reſtitui ſanitatem. *Ælex. lib. 2. cap. 14.*

PAUSANIAS Spartanorum Rex, ad Platæas, cùm extra militum ſtationem ſacra faceret, à Lydis, qui à Mardonii partibus ſtabant, circumventus eſt, qui omnem ſacrificii apparatum diſiecerunt. Ipſe tamen diis ducibus, cùm inermis eſſet, loris Lydos in fugam vertiſſe, & multos occidiſſe dicitur. *Plut. in Pauſania.*

PHILIPPUS Macedo, qui contra Phocenſes ſacrilegos pia tulit arma, Sacro bello confecto, in dies res ſuas auxit, tan- E demque pietatis ſuæ beneficio ab univerſa Græcia imperator appellatus eſt, & ſuum regnum ampliſſimum omnium, quæ eſſent in Europa, effecit. *Diod. lib. 16.*

COMATES in Sicilia, heri divitis pecora paſcens, conſueverat nonnunquam Muſis aliquid de gregibus domini offerre. Id cùm reſciviſſet herus, duriter ſervulum increpavit. Orat Comates, ne ſuccenſeat: fore enim, ut Muſarum beneficio omnia cumulatè reddantur. At herus: Age (inquit) experiamur, an Muſæ te ſint alituræ. Et ſervum in arborem excavatam incluſit, atque ab eo diſceſſit, relicta, ut fame moreretur. Exacto anno, cùm ad eum locum rediiſſet, ſervum unum, atque incolumem invenit, & multùm favorum circum eum in arbore, unde victitaverat incluſus. Apes enim eam arborem per rimas penetrantes, ſuaviter ipſum aluerant. *Ex Theocrit. Gilbertus Cognatus lib. 1. Narrat.*

L. LUCULLUM, qui Mithridatem vicit, maximis opibus, & honoribus auctum eſſe ob eam cauſam putaverunt Rom. quod votum Herculi factum perſolviſſet abundè. *Alexand. lib. 3. cap. 22.* F

MALUS.

ACHAZ Rex, filius Joathan Impiiſſimus, clauſit januas templi, & in valle Gehennon adoravit Baalim, & filium ſuum idolis conſecravit. Ita ut auferret altare æneum, quod Salomon fecerat, & poneret in templo Dei altare idolorum: cujus exempla de Damaſco acceperat: Juſtè igitur à Domini auxilio derelictus eſt: & conſurrexerunt adversùs eum Raſim rex Syriæ, id eſt, Aram: & Phacea filius Romeliæ, rex Iſrael in Samaria, & venerunt in Hieruſalem, ut expugnarent eam. *Hieronym. Com. in Iſaiam lib. 3. camp. 7.*

Quid eorum ſimulacra inſtituere, & metum deorum hominibus ademerunt, & errorem addiderunt, inquit Varro apud *D. Auguſt. lib. 4. cap. 9. de Civitate Dei.*

Apud priſcos Ægyptiorum reges ſæpius deſciſcente populo. Quidam prudentia præſtans Ægyptum in plures partes diviſit, edixitque, quæ animalia ſeparatim colerent, à quibuſve cibis abſtinerent. Eo conſilio: ut cum quique certa animantia G pro diis haberent, quæ ab aliis colerentur contemptis, alteri alteros peroſi, nequaquam ſimul adversùs principes conſpirarent. Quod & ſecutum eſt: cùm diverſorum finium homines invicem diſſentirent, & mutuò ſibi cultus impietatem obiicerent. *Diodorus lib. 1. cap. 7. & Plut. de Iſide.*

CAMBYSES Peluſium oppugnans, cum Ægyptii fortiter reſiſterent, catapultis in hoſtes tela jacientes objectis, animalibus, quæ Ægyptii tanquam deos colunt, occupavit. *Polyænus lib. 7.*

ARTEMISIA Cariæ regina, cùm Latmum oppugnaret, armatas copias occupavit: ipſa verò cum eunuchis, mulieribus, tibicinibus, ac tympaniſtriis in locum Matris deorum, qui ſeptem ſtadiis ab urbe diſtabat, ſacra peragens, acceſſit. Latmiis autem advenientibus, & pietatem ejus contemplantibus, admirantibuſque, ii, qui latebant, conſurgentes, urbem invaſerunt, obtinentes eam fiſtulis, ac tympanis, quam armis non poterant obtinere. *Polyænus lib. 7.*

AGAMEDES, & Trophonius, cùm Delphis templum condidiſſent, & mercedem ab Apolline petiiſſent: ſeptima die ſe eis redditurum promiſit, atque ut intereà epularentur, præcepit. Cùm paruiſſent, ſeptima demum nocte dum quieſce- H rent, interierunt. Plutarchus in Conſolatoria oratione ad Apollonium. Pauſanias tamen mortis illorum aliam cauſam affert.

NICIAS Athenienſium dux, dum umbram extimeſcit deficientis lunæ, deſidens, muro ab hoſtibus circumvallatus, cum quadraginta millibus capitum contrucidatorum, vel vivorum captorum in deditionem conceſſit, ac turpiter vitam depoſuit. *Plut. de Superſtit.*

METELLUS Pontifex, Veſtali æde fortuitò igni flagrante, per medias flammas Palladium incendio ſubtraxit. Ceſſit illi audax conatus proſperè; nam deæ ſimulacrum ſervavit: ſed res felicius ceſſiſſet, ſi viſum non amiſiſſet. Fuit tamen clades illa religioſæ mentis, & immodicæ caritatis in deam teſtis locupletiſſima: fuit & ornamento, datum eſt enim ei à Rom. tantæ pietatis admiratoribus, ut curru veheretur in curiam: qui honor nulli ejus ordinis ad id tempus contigerat. *Sabell. lib. 5. cap. 1.*

CN. POMPEJUS Hieroſolyma potitus, templum oppugnabat muni-

munitiſſimum. Erigebant Romani aggerem, ut foſſa comple- A ta templi murum machinis quaterent. Verùm Judæi opus egregiè impediebant, & niſi patrius mos illis fuiſſet, per otium ſeptimum quemque diem exigere, non potuiſſent abſolvere aggerem, prohibere enim vim inferentes lex permittit, ſed opus facientem hoſtem impedire non ſinit. Quod ubi animadverterent Romani, ſabbathis neque eminus inceſſabant telis Judæos, neque manus cum eis conſerebant: tantùm erigebant aggerem, & turres, machinaſque admovebant, ut eis poſtridie adversùs Judæos uti poſſent. Sic tandem concuſſa turri maxima machinis è Tyro advectis, eaque collapſa, templum tertio menſe captum eſt, die jejunii, 179 Olymp. c. Antonio, M. Tul. Cic. Coſſ. *Joſephus lib. 14. cap. 8. Dion. Strabo.*

VESPASIANUS Judæos Saturni die (quo eis nefas eſt quicquam feriæ rei egere) adortus ſuperavit, *Fron. lib. 2. cap. 2.*

HAUMAR Saracenorum dux, in honorem Mahometi templum Hieroſolymis extruxit. In quo tandem orans à Perſa quodam interfectus eſt anno Domini 647. *Sigeb. & Paul. Diac. lib. 19. rer. Rom.*

HARALDUS V. Danorum rex, ſolis ſacrorum officiis dedi- B tus, impunitas omnium noxas enervi legum indulgentia præteriit *Saxo.*

Arcem Vordenſtein principes Brunſuicenſes occuparant, Bremenſi Archiepiſcopo ademptam. Prævalverat in eo oppido ſuperſtitio magna. Quidam OTBERTUS, vanam ſanctitatis imaginem præ ſe ferens, putabatur ſancta reddere, quæcunque tangeret. Ingens hominum concurſus fit: felicem ſe reputabat, quiſquis Otberti contingere manus ſineretur. Hanc ſuperſtitionem aluit arcis præfectus, quòd oblationis nomine multa congererent, qui accurrebant. Hac occaſione freti miniſtri Archiepiſcopi, ſpecie peregrinorum, viſendi hominis ſancti gratia venientium, ab arcis cuſtodibus intromiſſi arcem receperunt, & Otbertum ad ſtivam redire compulerunt. *Crantzius lib. 7. Metropoleos, cap. 49.*

DEI CULTUS SUPERSTITIOSUS.
RESPECTU.

EJUS, QUI COLITUR. PUTA
DIVUS.

Seculo quarto poſt Chriſtum quædam mulieres Arabum currum, ſive ſellam quadratam ornantes, expanſo ſuper eam C linteo, per aliquot dies panem proponebant, & offerebant in nomine Mariæ. Omnes autem de pane participabant. Item habebant imaginem Mariæ, quam adorabant, & offerebant collyridem, ſeu placentam. *Epibanius lib. 3. tomi 2. bæreſi 78. & 79.*

DÆMON.

Duodecim fuerunt apud ROM. dii Conſentes, ſex mares, & ſex fæminæ: quorum imagines auratæ ſtabant apud forum, ut refert *Varro lib. 1. Rei ruſticæ.* Hos Ennius diſticho eſt complexus:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo,

Conſentes appellant, quaſi conſentientes in eo, quod eſt gerendum. His enim utitur velut conſiliariis Jupiter in maximis rebus agendis, ut *Auguſt. de Civit. Dei cap. 23.* & apertius *Seneca* tradit ex diſciplina Ethruſca *lib. Nat. qu. 2.* Ferunt, ex antiquis monumentis Pomponium Lætum ad Medicen Laurentium ſcripſiſſe, ſingulis illorum deorum ſuum menſem eſſe ſacrum: Januarium Junoni, Februarium Neptuno, Martium Minervæ, Aprilem Veneri, Majum Apollini, Junium D Mercurio, Quintilem Jovi, Sextilem Cereri, Septembrem Vulcano, Octobrem Marti, Novembrem Dianæ, Decembrem Veſtæ. *L. Vives in lib. 4. Aug. de Civit. Dei.*

Iidem neſcio quem SUMMANUM, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis, quàm Jovem, ad quem diurna fulmina pertinebant: Sed poſtquam Jovi templum inſigne, ac ſublime conſtructum eſt, propter ædis dignitatem, ſic ad eum multitudo confluxit, ut vix inveniatur, qui Summani nomen, quod audire jam non poteſt, ſe ſaltem legiſſe meminerit. *Auguſt. lib. 4. de Civitate Dei, cap. 23.*

Scribit *Tertull. in Apolog.* in Norico olim Tibelinum (hoc eſt diabolum) cultum eſſe. Nam etiamnum hodie *Zeufel.* Germanis diabolum ſonat.

Gens Sueonum templum olim habuit, quod Upſala dicitur (ſedes hodie metropolitana regni ibi eſt) non longè à civitatibus Sictona, & Birca. In templo (quod totum fulgebat ex auro) ſtatuas trium venerebantur deorum, antequam Chriſto crederent. Potentiſſimus Thor in medio triclinio ſtrato pulvinari colebatur. Hinc inde latera ejus cingebant Vuodan, E atque Fricco. Thor inquiunt, præſidet in aere: tonitrua, & fulgura, ventos, & imbres, ſerenitatemque gubernans, fruges adminiſtrat cum fructibus univerſis. Alter Vuodan, hoc eſt, fortior, bellis præſidet, hominibus fertur in hoſtes vires ſubminiſtraſſe. Tertius Fricco pacem, & voluptatem moderatur: cujus etiam ſimulacrum turpitudinem præ ſe ferebat. Vuodanem ſculpunt armatum, ut alii Martem: Thor autem cum ſceptro Jovem videbatur exprimere. Arbor, incognita juxta templum ſtabat ingens, patulis diffuſa ramis, æſtate, & hyeme juxta virens. Fons ſcaturiebat ad locum ſacrificiorum. Sacrificaturi, hominem hìc immerſere vivum: qui ſi facilè mergeretur, fauſtum renunciabant votum. Aurea catena fertur cinxiſſe templum, ad mœniana domuſque faſtigia ſuſpenſa, latè rutilans acceſſuris. Nam templum in planitie ſitum montibus ambitur. Si peſtis, aut fames ingruat, Thor ipſis ſacrificabatur: ſi bella, Vuodam: ad nuptias ineundas Fricconi ſupplicabatur. Poſt novennium totius regni celebritate templum viſebatur: ne regibus quidem immunitas à mittendis donariis. Reges aliquando Chriſtiani, quod ſacrilego à cultu hujuſmodi ab- F ſtinerent, regno ſunt dejecti. Novem diebus ſacrificia peragebantur, novem per ſingulos dies animantium genera (in quibus & homo) ſacrificabantur. *Crantz. in Sveciæ præfat.*

Deum nuncupatum cacodæmonem veneratur Rex emporii Indiæ celeberrimi CALECUT, confiſus illi factam à Deo poteſtatem judicandi orbis terrarum, & tribuendi unicuique pro benefactis videlicet, & malefactis mercedem meritam. Ejus imaginem ut monſtrum horrendum ingens, ſedentem capite redimito diademate, Romanorum pontificum modo, ſcribit *Ludov. Roman. patricius l. 5. Navig. c. 2.* Regem habere in ſacello ſuo. Hoc autem illi accedit, quod diadema ipſius ternis inſignitur cornibus, Deum verò maximum Tamerani appellant incolæ.

Samogitarum ruſtici dæmoni ZIEMIENNEK ſub finem Octobris ſacra faciunt, omnis generis animalia domeſtica baculis ad mortem uſque percutientes. *Alexand. Guagninus in Lituania.*

SIDERA.

Ab CARENIS Lunus Deus eximio venerationis ritu colitur: quoniam ſit ab prudentiſſimis traditum, qui Lunam fœmineo credat nomine appellandam, itaque habendam prorſum mulieribus mancipatum deliciis vitam tranſmiſſurum ſervi- G tutis onere inveſtigabili. Atqui maſculorum decuriæ adſcribendam cenſuerit, cum verò uxori pro arbitrio injecturum frena, reclinatis facilè, vel eluſis, perruptiſve inſidiarum tendiculis omnibus. Nam Græcis quoque, Ægyptiiſque, etiamſi uti fœminam videntur enunciare, myſtico tamen ſenſu deum planè credit *Cælius lib. 10. c. 7. A. L. ex Strabone.*

In foro Philaſiorum, capra ex ære magna ſui parte inaurata conſpicitur, ob eam cauſam dedicata, quòd ſidus, quam Capram vocant, ortu ſuo vitibus perniciem afferre conſuevit. Ne itaque cœleſtis capra vinetis noceat, forenſem illam ex ære cum aliis afficiunt honoribus, tum verò auro eam exornant. *Pauſan. in Corinth.*

Caniculæ à ROM. olim rutilæ canes, ut ait Atteius Capito canario ſacrificio pro frugibus, ad ſedandam tempeſtatem immolabantur. Cei ab Ariſteo Arcade edocti, ſingulis annis ejuſdem exortum ſervarunt cum armis, eidemque rem divinam fecerunt ad impetrandam pluviam. *Cælius lib. 17. c. 27. Antiq. Lectionum.*

Mos erat antiquis, adorare ſolem, quem Deum exiſtimant, & à Perſis præcipuè colebatur, nomine MITHRÆ: H item apud Ægyptios Oſiridis, apud Græcos Apollinis, apud alios aliis, atque aliis nominibus. Hunc Orientem ſalutabant religionis cauſa. Quem morem tradit Socrati fuiſſe Plato, ferunt; & ab Elephantis adorari ſolem in exortu. Salutabatur & Occidens, ſed à paucioribus. *Eraſmus in Adagiis.*

Apud Phœnices colebatur Sol, quem ſua lingua HELIOGABALUM vocabant; Erat autem lapis maximus, teretior ab imo, ſenſimque faſtigiatus, propèmodum in coni figuram, niger illi color, quem indigenæ jactabant cœlo delapſum: Viſebatur in lapide forma quædam, quam Solis vulgò eſſe arbitrati, haud humano artificio fabrefacta. Hujus ſacerdos fuit Baſſianus, jam annos quatuordecim, cùm à militibus propter formam, & quia Caracallæ filius credebatur, in Imperatorem electus eſt, cæſo Macrino. *Herod.*

XERXES rex Perſarum, tranſmiſſo exercitu per pontem A in Boſphoro, Sole exorto ex aurea phiala libans, in mare apud Solem vota concepit, ne quid ſibi adverſi contingeret, quam Europam totam ſubegiſſet. Phialam in Helleſpontum abjecit, aureumque craterem, ac gladium Perſicum, quem acinacem vocant. *Herodotus. lib.7.*

M. MARCELLUS ab equo in pugna lapſus, ſolem ſupplex adoravit. *Plut. in vita Marcelli.*

Aquilonares ſub polo ſolem ob ſemeſtre lumen, lunam, ſimiliter nocturnos radios adorant. *Olaus lib.3.cap.2.*

In inſula Thule præcipua ſolennia ſunt, quæ quotannis in honorem Solis celebrantur, quando ſpeculatores ex altiſſimis montibus nuntiant, Solem redire ad ipſorum horizontem, cùm anteà verno tempore dies 40. integras noctes habuerunt, ſicut & in Autumno dies 40. continuam lucem. *Procopius de bello Gothorum, lib.2.*

TARTARI Solem, ac Lunam adorant, item elementa quatuor, quibus antè prandium ciborum, & potus primitias libant. *Bonfinius lib.8.Dec.2.*

MAHUMETANI varias habent ſectas: unam eorum, qui B Elauted, hoc eſt, Trunci appellantur, & viliſſimo habitu Africam circumeunt, ſtellas unum Deum eſſe aſſerentes, & nullam legem, neque fidem erroneam, cuique enim adorare licere, quod ſibi videatur. Horum unum in foro Alcairi ſe palàm cum primaria femina à balneo egreſſa congredi vidiſſe *Joannes Leo libro 3.cap.43. Africæ*, affirmat: omnes mox accurriſſe, & veſtes mulieris tanquam ſacroſanctas manibus tetigiſſe. Maritum, cognito facinore, deum benedixiſſe, ſolennique convivio, & eleemoſynis gaudium ſuum teſtatum, qui dignus habitus eſſet, cujus uxorem propheta ſimulato concubitu divinis repleret chariſmatis.

IGNIS.

De ignis cultu apud Romanos ſimul, & alias gentes abundè. *Cælius lib.15.cap.14. & 15. Antiq. Lect.*

Lituanica gens olim ignem pro deo colebat, & eum in celebrioribus locis, atque oppidis perpetuum aſſervabat. Fulmini quoque, quod Percunum vocabat, divinum honorem tribuebant. *Cromerus lib.15.*

VENTUS.

Apud Methana oppidum in Iſthmo agri Trœzeniorum Africus à Saranico ſinu agrum, & vineas perflans, novos pam-C pinos acriter torret. Id quoties accidit, vento etiamnum ſpirante, viri duo gallum gallinaceum albis alarum pinnis in contrarias partes diſtractum lacerant, ac deinde dimidiam uterque galli partem præferens, cum curſu vites ambiunt, mox in eum ipſum locum, unde currere cœperunt, rurſus congreſſi, avem ibi defodiunt. Hoc ab illis excogitatum eſt, tanquam præſentiſſimum remedium contra noxios Africi flatus. *Pauſanias in Corinth.*

Thurii Boreæ uti deo vota perſolverunt, quòd Dionyſii claſſem, quam ad eorum excidium paraverat, funditus evertiſſet. *Ælianus lib.12. Var. hiſt.* Idem Megalopolitas feciſſe, *Pauſanias* teſtatur.

AUGUSTUS CIRCIO, ne Galliam rapidè infeſtaret, votum exolvit, & ſacrum fecit, cujus tanta plerunque vis erat, ut tecta auferret. Calabri Japygi, Apuli vento Apulo, Athenæ Scironi, Pamphylii Gagneo, ne incolas tabe afficerent, neve arva depopularentur. Xerxe in Græciam innumerabiles copias ducente, Delphicum reſpondiſſe Græcis oraculum ferunt, ut ventos precarentur ſibi auxilio adeſſe. Illi ara ventis extructa, D illos propitios habuerunt, tota ferè hoſtium claſſe demerſa. In agro quoque Sicyonio ventis extructam aram legimus: quotannis noctem unam vota effundunt, ut lenita vis venti deſineret, cùm turbine ventorum, villæ, arbuſta, fruges paſſim devaſtarentur. Et apud Methonem Palladi Anemotidi templum dicatum eſt, ne violentiores perflantes loca devaſtarent. *Alex. ab Alex. lib.3.cap.22.*

TERRA.

ARTAXERXES Perſarum Rex, pro uxoris ſalute, Terræ votum faciens, ſe illam attacta humo ſolenni prece adoraturum promiſit. *Alex. lib.3.cap.22. ex Plutarcho.*

Germanorum populi Reudigni, & Aviones, & Angli, & Varini, & Eudoſes, & Suardones, & Nuithones, in commune Herthum, id eſt, Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Eſt in inſula Oceani Caſtum nemus, dicatum in eo vehiculum veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunque adventu, hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non E arma ſumunt, clauſum omne ferrum, pax, & quies tunc tantùm nota, tunc tantùm armata: donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium deam templo reddat: mox vehiculum, & veſtes, & ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur. Servi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantùm perituri vident. *Cornelius Tacitus de Moribus Germanorum.*

SAXA.

Pharis Achajæ oppido in foro Mercurii agoræi ſtatua eſt barbati, propè ipſum ſignum lapides ferè XXX. erecti ſunt quadrangula figura, ſingulos certis deorum nominibus appellantes venerantur. Et ſanè Græcis olim omnibus patrium fuit, rudes lapides pro diis perinde ac ſimulacra ipſa colere. *Pauſanias in Achaicis.*

NUMA POMPILIUS rex Romanus, cùm & publicum agrum populi Romani, & privatum uniuſcujuſque certis limitibus, terminiſque definiſſet, ſacellum erexit Termino in colle Tar- F peo, deo, cui Terminalibus ſacris dictis nihil animatum ſacrificaretur, ſed ſolùm liba, pultes, & primitiæ frugum: tametſi hoc poſteà, ut alia complura, in deſuetudinem abiit: ſaxumque erat hic deus, & ſaxa reliqui omnes agrorum, & publici, & privatorum termini. Quos qui ſtatuto dimoviſſet loco, eum hominem licebat ſine fraude neci dedere. *L. Vives in lib.4. Auguſt. de Civit. Dei, cap.23.*

Religioſa civitas ROM. ex Peſſinunte informem ſibi lapidem petivit: gratificari ſe credens deorum Matri. Cæterùm quia in ejus invectu magna oculorum ludibria obverſata ſunt civium oculis, aucta eſt cum cæremonia hominum fides. *Sabell. lib.5.cap.4.*

Phœnices ſaxum Solis, HELIOGABALUM dictum, colunt. ☞ *Vide ſuprà, Sidera.*

MAINUS, Scotorum Rex tertius, ut populum ad religionem moveret, priſcis ſacris novas quaſdam, ſolenneſque cæremonias ſuperaddidit, peragendas, ut immenſis ſaxis, variis in regionum locis (ut res expoſcebat) in coronam admotis, eorumque maximo ad meridiem porrecto (cujus pro ara foret uſus) victimæ ibi diis immortalibus ad ſacrificium cremarentur. Extant in rei fidem vel hoc noſtro ævo ingentia ea ſaxa G ducta in, circos, priſca deorum Fana vulgus appellat: Mirabitur profectò quiſquis ea ſpectaverit, qua arte, quibus corporis viribus lapides tanta mole in unum locum fuerint congeſti. Erat ea ætate gentis victima, rei frumentariæ, pecuniariæve, diis immortalibus gentili debitæ inſtituto, portio, quæ ſacerdotum (hi tum rariſſimi erant) victui ſuperfuerat. *H. Boethius lib.2.*

MONTES.

In Oelandia inſula Gothici maris prope Aquilonare litus exſurgit mons excelſus, quem nauticum vulgus vitandæ marinæ tempeſtatis gratia, Virginem vocat: atque in ejus portu manentes certis munuſculis puellis dari ſolitis, ut potè chirothecis, ſericis zonis, & ſimilibus, montem placant. Nec ingratum montis numen ſentire videntur, prout aliquando factum meminit antiquitas, voce lapſa juſſum fuiſſe donantem mutare portum, ne periclitarentur: & ita faciendo ſalvus factus eſt, ubi alii ſunt periclitati. In eo monte certis anni temporibus dicitur eſſe conventus Aquilonarium maleficarum, ut H examinent præſtigia ſua. Tardius miniſterio dæmonum accedens dira afficitur correptione. Sed hæc vulgi fabula eſt. *Olaus Magnus lib.2.cap.23.*

STIRPES, ARBORES.

ÆGYPTII pro diis colebant etiam allia, & cepas, per quæ jurabant. *Plinius.*

CORINTHIIS redditum oraculum, eam arborem quærerent, in qua Baccharum ſacra ſpeculans Pentheus ab iiſdem dicerptus fuit, & inventæ divinos homines haberent. Illius igitur oraculi monitu, arbore inventa, dua ſigna lignea Liberi patris in foro poſuere, inaurata, præter ora tamen, quæ minio oblita ſunt, Lyſium alterum Bacchum nominant. *Pauſ. in Corinth.*

Sinin Pityocamptem in Iſthmo occiderat THESEUS. Erat illi excellentiſſimæ formæ, & ſtaturæ filia, Peregune nomine: hanc perempto Theſeus patre fugientem circumquaque requirebat. Ea in locum ſeceſſerat frequentibus virgultis, mul-

multaque ſtœbe, & aſparagis obſitum. Hæc illa admodum A ſimpliciter, & pueriliter precans velut ſcientia, vota cum jurejurando nuncupavit, ſi ſervaſſent, & texiſſent ſe, nunquam læſuram ſe ea, nec crematuram. Quam cum alta voce appellaret Theſeus, fidemque daret egregiam ſe ejus geſturum curam; neque re ulla violaturum: prodiit, atque ex Theſei complexu edidit Menalippum. Ea poſt Dejoni, Euryti Oechalienſis filio, Theſeo elocante, nupſit. Melanippo Theſei genitus Toxus, Ornyti ſocius deducendæ in Curiam coloniæ fuit, unde originem ducunt Toxides. Hinc ſolenne Toxidibus eſt, neque ſpinam aſparagi, neque ſtœben comburere: ſed honorare hæc, & venerari. *Plut. in Theſeo.*

Anno Chriſti 508. Boii alieni à veritate Chriſtiana, Romanos Chriſtianos graviter vexarunt. Theodo, Rex Bojorum lucum, & montem, proximè Reginoburgum (Ratisbonam) Danubio imminentem, Alemanno Herculi victori, & bellorum præſidi dedicavit, ejuſque nomine appellari juſſit: ibi Sacris, ritu patriæ, divis operari præcepit. Ea ſylva poſteà monachis D. Haimerani dicata eſt. Extabant in ripa Danubii, & ora Germaniæ duæ vetuſtiſſimæ quercus prodigioſæ magnitudinis B millibus paſſuum viginti diſtabant: altera ſuperior, altera inferior cognominabatur. Has quoque gentili cæremonia Bojus conſecravit, eò frequens populus coiit, victimaſque immolavit. Boii, ubi Criſtianam religionem receperunt, in templa, & inde cœnobia commutarunt, unumque nomen vetus ſervat, Althaichiumque vocari ſolet, quod lingua Boja veterem quercum ſignificat. Nam nihil ſacratius quercu Germani habuere: nulla ſacra ſine hujus arboris fronde confecere: ſacrificiis, epuliſque ritè ſub hac arbore perpetratis, deos precati ſunt: viſcum ejus è cœlo miſſum putarunt, ſignumque eſſe à Deo electæ arboris: omnia ſanantem ſuo vocabulo appellantes, fœcunditatem eo potu dari cuicunque animalium ſterili arbitrati ſunt contra venena omnia eſſe remedio. Et in expiationibus ſolennibus uſi ſunt. Manavit hæc fama hucuſque, etiam nunc Germanis admirationi eſt, & ſuperſtitioſè obſervatur, precium auri apud quoſdam habens. *Aventinus lib.3 Annal. Bojorum.*

VANDALI Aldenburgenſes inter vetuſtiſſimas quercus, ſacras habuere arbores, dicatas deo Prone: quas ambiebat atrium, & ſepes accuratior, lignis extructa, continens duas portas. Præ-C ter penates enim, & oppida, quibus ſingula numina inerant, locus ille genti ſacer fuit, cui flamen, & feriæ, & ſacrificiorum varii ritus dedicati fuerant. Illuc omni die Lunæ cum regulo populus, & flamen convenire ſolebant, propter judicia. Ingreſſus atrii omnibus interdictus, præterquam ſacerdoti, & ſacrificii cauſa eò venientibus, vel ſupplicibus. Eum locum Geroldus Epiſcopus Aldenburgenſis evertit, & incendit. *Crantzius lib.4. Vandaliæ, cap.23.*

LITUANI olim lucos, & eximias, quaſdam arbores in ſylvis ſacroſanctas habebant, quas violare ferro nefas erat, nec impunè erat tale quidquam auſis. Nam violentia dæmonum vel interibant ſubitò, vel membro aliquo capiebantur. *Cromerus lib.15.*

ANIMALIA QUÆVIS.
In Genere,

ÆGYPTIORUM portentoſa eſt ſuperſtitio, qui varias animantes colunt, in ſingulis ferè urbibus ſingulas. Nam in has animantes deos Tiphonis formidine vertiſſe ſe, veluti velantes ſe ibum, canum, & accipitrum corporibus, quinetiam defunctorum animas, quæcunque permanent, in has renaſci ſolas arbitrantur. Alii Oſirim in magna expeditione autumant in D multas partes partitis copiis (manipulos, & cohortes Romani vocant) diſtribuiſſe omnibus ſigna, & effigies animantium: quarum ſingulas ſingulis nationibus centuriatis ſacras fuiſſe, & venerandas. Alii poſteriores reges percellendorum gratia hoſtium in prælia cum capitibus ferarum aureis, & argenteis prodiiſſe. Alii ex aſtutis regibus quendam ſuperſtitionis diverſitate populum, alioqui ad res novandas pronum, diſtrahere voluiſſe, ut quando animantes illæ infeſtæ ſibi invicem ſunt, canis lupo, ichneumon crocodilo, lupus ovi, feles muribus, earum quoque cultores ſenſim in factiones diſtraherentur. *Plut. de Iſide.*

ÆGYPTII colunt animalia quædam non ſolùm viva, ſed etiam mortua: ſicut Feles, Ichneumonas, Canes, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos, & ejuſmodi plura. Si quis quod horum ſpontè animalium occiderit, morte damnatur æluro, & ibide exceptis: quos ſpontè an ſecus occiderit, interficitur, accurrente turba, & abſque judicio hominem variis ſuppliciis affectum interficiente. Quo timore, qui mortuos conſpexerit, procul aſtans lamentatur, teſtificans animal abſque ſua cul- E pa mortuum eſſe. Premente aliquando Ægyptios fame, adeò ut plures ab humana carne ob inopiam cibi non abſtinerent, animalia ſacra omnino intacta reliquere. Sicubi verò canis domi mortuus repertus eſſet, ſinguli ejus domus totum corpus facta lamentatione radunt. Hoc quoque eſt mirabilius, ſi vinum, frumentumve, aut aliud quid victui accommodatum, ubi ſimile animal expiravit, inventum eſſet, non amplius illis utebantur. Eodemque luctu etiam ad alia loca profecti, æluros, & accipitres mortuos in Ægyptum deficiente perſæpè viatico deferebant. Apud Memphim Apis, apud Heliopolim Mnevis, apud Midetam hircus, crocodilus apud Myridem paludem, leo apud Leontem urbem, coluntur. Nutriuntur hæc animalia ſumma cura, atque impenſa in templorum ambitu à viris haudquaquam contemnendis: quæ ſimilagine, & alica, variiſque epulis lacte conditis cibant. Anſeres inſuper tum elixos tum aſſos apponunt quotidie. Eorum mortem æquè ac filiorum lugent, ſepeliuntque ſumptuoſius, quam eorum facultas ferat. *Diodorus lib.1.cap.9. & Strabo l.17. Herod. lib.2.* ſcribit, feles mortuas magno luctu defleri ab Ægyptiis: F demum ad ſacra tecta deferri, ubi ſalſæ ſepeliuntur in urbe Bubaſti. Canes, ichneumonas, accipitres in ſua quique urbe tumulant ſacratis in loculis. Urſos, qui ſacri ſunt, & lupos non multò vulpibus grandiores, eo ſepeliunt loco, ubi jacentes inveniunt.

Iidem aſpidem, muſtellam, & ſcarabeum colunt: in quibus imagines quaſdam obſcuras ſibi, ſicut in radiis Solis, deorum potentiam conſiderant. Siquidem muſtellam adhuc multi putant, & dicunt, quod aure ineatur, & ore pariat, ſermonis ortum exprimere: ſcarabeorum genus femina carere: mares omnes emittere ſemen in materiam, quæ fingitur in globum, eamque volunt adverſo gradu propellentes, ut videtur cœlum ſol, dum ipſe ab occidente in orientem convertitur, in contrarium contorquere. Aſpidem, ut qui non ſentiat ſenium, motumque ſine organis peragat promptè, & expeditè; illi ſideri comparant. *Plut. de Iſide.*

VOLATILIA.

Scarabeum, qui pilulas volvit, ÆGYPTI magna pars inter G numina colit, quod contra quartanam manifeſtè auxilietur: curioſa Apionis interpretatione, qua colligit Solis operum ſimilitudinem huic animali eſſe, ad excuſandos gentis ſuæ ritus *Plinius lib.30.cap.10.*

Ibi ſerpentium lethalia necans, docuit princeps purgationis medicæ uſum, cùm ſpectarent ita eam ablui, & purgari ab ſe ipſa. Sacerdotum Ægyptiorum peritiſſimi luſtralem aquam, unde Ibis bibit, cum expiant ſe, ſumunt, non bibit enim inſalubrem, aut veneno infectam, nec accedit. Pedum trajectione mutua cum roſtro triangulum æquis lateribus reddit. Inſuper atrarum pennarum albis adiectarum varietas, & mixtura cavantem cornua lunam refert. *Plut. de Iſide.*

TIBULLUS in Elegia quadam ſuperſtitionis Syrorum meminit, qui columbas conſecrabant, timebantque violare, ita canens:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro.

Item Xenophon in 1. lib. Expeditionis Cyri.

Commodi, & compendii gratia conſtat in honore haberi à Lemniis corydalos, qui cum attelaborum ova inveniunt, tondunt ea: à Theſſalis ciconias, quod ſerpentes, qua ea regio frequentes fudit, adventu ſuo omnes deleviſſent. Quare etiam lege ſanxerunt exilium in eum, qui ciconiam occidiſſet. H *Plut. de Iſide.*

PYTHAGOREOS proditum memoriæ eſt gallinaceum album colere, & marinorum piſcium mullo, & urtica abſtinere. *Plut. lib.4. Quæſt. conv.5.*

PICUM MARTIUM Latini colunt, omneſque planè ab ea ave temperant: quoniam Romulo, & Remo expoſitis non modo à lupa præbitam mammam, ſed & à pico Martio, qui eò ſubinde adulabat, eos paſtos credunt. Ferè enim nunc quoque ad radices montium, & locis quercubus conſitis ubi viſitur picus Martius, illic item lupus, ut Nigidius tradit. *Plut. in Rom. quæſt.*

AQUATILIA.

Xenophon lib.1. ἀναβάσεως, narrat, CYRI junioris copias veniſſe ad fluvium Chalum appellatum, plenum magnorum piſcium,

piſcium, ac manſuetorum, quos Syri deos eſſe putarent: nec A ſinerent violari: quod etiam tribuebant columbis. *Cic.lib.3. de Nat.Deorum*, Piſcem, inquit, Syri venerantur. *Porphyrius* præterea *in 4.l.περὶ ἀποχῆς* commemorat, litteris proditum eſſe, Syros antiquitus abſtinuiſſe ſe à necandis animantibus, ut neque etiam ipſas diis immortalibus immolarent, poſteà tamen cœpiſſe victimas mactare, ut arcerent à ſe quædam mala: nec tamen ne tum quidem auſos carnibus veſci: Addit autem infrà, morem illum uſque ad ætatem Menandri comici perduraſſe, cujus etiam verſus ponit: quibus exponitur, quò humilitatis deſcendant Syri, ut deam placent, ſi fortè aliquando incontinentia ducti piſcem comederint: *Victor, lib.12. Var. lect.cap.15.*

Ægypti civitas Arſinoe, priùs Crocodilorum civitas dicebatur. In hac præfectura mirum in modum colitur crocodilus, & eſt ſacer apud eos in lacu quodam ſeorſum nutritus, & ſacerdotibus manſuetus, & Suchus vocatur. Nutritur autem pane, carne, & vino, quæ à peregrinis afferuntur ad ejuſmodi ſpectaculum venientibus. Poſt arſinoiticam præfe-B cturam eſt Herculis civitas, in qua colitur Ichnemon, contrà quam faciant Arſinoitæ. Hi enim crocodilos colunt, & propterea foſſam habent crocodilis plenam, & Myridis lacum. Herculis verò civitas Ichnemones, qui crocodilis, & aſpidibus perniciem inferunt, eas enim, & earum ova delent luto incruſtati. Involvuntur enim in eo, poſteà ad ſolem ſiccati, aſpides per caput, vel caudam capientes in flumen trahunt, atque occidunt. Crocodilis verò apricantibus in oris hiatum intrant, & exeſis viſceribus è ventre mortuorum egrediuntur. *Strabo lib.17.& Ariſt. in Oecon.* eos, ne læderentur à Cleomene Alexandrino Ægypti præfecto, magna redimiſſe pecunia ſcribit Crocodilum (ubi mortem obiit) ſale conditum ſacris in urnis ſepeliunt. Viventi gemmas, & inaures appendunt. *Herod. lib.2.* Crocodilus exemplar dicitur Dei eſſe, qui unus ſit elinguis. Vocem enim ſermo non requirit divinus, ac via incedens ſilenti, ac per formulam res mortales regit ritè. Solius autem ajunt in aqua degentium oculos membrana polita, & pellucida, quæ ex fronte deſcendit, integi, ut cernat, nec cernatur: quare cum ſummo Deo congruit. Jam quo loco femina egeſſerit puerperium, ibi incrementum Nili conſiſtere norunt. Quippe in humi-C do quia non valent, procul verò formidant eniti, uſque adeò ad unguem futurum præſentiunt, ut amne accedente utantur fœtantes, & incubantes ovis, ſimul ova ſicca, & libera ab unda ſervent: Edunt ſexagena, totidem diebus ea excludunt, totidem vivunt annos, qui longiſſimam vitam trahunt: eſtque ea menſurarum cœleſtia pertractantibus prima. *Plut. de Iſide.*

Terreſtria Greſſilia.

ÆGYPTII Api mortuo, magnificèque ſepulto, quærunt ad id delecti ſacerdotes vitulum priori per ſimilem invento, populus luctum finit, Sacerdotes, quibus ea incumbit ſolicitudo, primùm in urbem Nili vitulum perducunt, in qua eum nutriunt diebus XL. Deinceps in navim contectam, habitaculum aureum habentem introducentes, & ad Memphim ut deum ducentes, in Vulcani fano locant. His diebus ſolæ mulieres taurum vident: quæ ante ejus faciem aſtantes, veſtibus ſublatis ei abraſum femen oſtentant. Reliquo tempore prohibentur in conſpectum hujus dei accedere. Honoris bovi impenſi cauſam nonnulli tradunt, quòd defuncti Oſiridis anima in bovem tranſmigraſſet: quæ deinceps ad poſteros pergens fuerit transfuſa. Alii à Typhone interfecto, Oſiride ferunt Apim D membra ejus collecta in bovem ligneum corio bovis albo circundatum conjeciſſe: ideòque urbem Buſiridem appellatam. *Diod.lib.1.cap.6. & Strabo lib.17.*

Iidem, cùm capras, tùm verò capros, hircoſve omnes venerantur, propter libidinem, fœcunditatis veluti obſtetricem, ſicuti Græci Priapum coluere. Et inter Mendeſios caprarii præcipuo honore afficiuntur, & ex his unus maximè, qui cùm deſiit, ingens toti Mendeſiæ plagæ luctus extitit. Vocatur autem & hircus, & Pan. Ægyptiacè Mendes. In ea regione Herodoti memoria hircus cum muliere coiit propalàm, quod in oſtentationem hominum pervenit. *Herod.lib.3. & Diodorus lib.1.cap.7.*

ÆGYPTII lupos venerantur propter ſimilitudinem canum. Anubim autem in forma canis colunt, parum enim natura, cum etiam mutuò coeant, à canibus differunt. Cùm Iſis unà cùm filio Oro cum Typhone eſſet bello dimicatura, ferunt, Oſiridem in lupi forma ab inferis auxilio & uxori, & filio veniſſe. Victores itaque Typhone interfecto honorem ei animanti impendiſſe, cujus interventu, ſubſidioque victoria parta E eſſet. Tradunt nonnulli, agros Ægyptiorum incurſantes Æthiopes, à lupis facta acie uſque ad urbem Elephantinam repulſos. Qua ex re ſit & locus ille dictus Lycopolis, & eis belluis honos à poſteris habitus. *Diod.l.1.c.7.* Lycopolitana Thebaidos civitas pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc eſt, λύκον colit: in utroque Solem venerans, quòd hoc animal rapit, & conſumit omnia in modum Solis: ac plurimùm oculorum acie cernens, tenebras noctis evincit. Ipſos quoque λύκας, ἀπὸ τῆς λύκης, id eſt, à luce prima appellatos quidã putant: quia hæ ferè maximè id tempus aptum rapiendo pecori obſervant, quod antelucanum poſt nocturnam famem ad paſtum ſtabulis expellitur, *Macrob.lib.1.Saturn.cap.17.*

Murem araneum ajunt animal cæcum, quòd lumine tenebras extitiſſe arbitrentur priores, ab iiſdem conſecratum fuiſſe. Edi eum à muribus quinto puerperio nova luna: et iam occultata luna jecur eorum imminui. *Plutarchus lib.4. Quæſt. conv.5.*

Suem refugi, & coli ab ÆGYPTIIS memorant: quòd primus F primore roſtro tellurem proſcindens, exemplum prodidit arationis, & vomeris monſtravit utilitatem: hinc nomen quæſitum apud Græcos inſtrumento, ut ὕνις vomer dicatur, ἀπὸ τῶν ὑός, id eſt, ab ſue. *Idem.*

Agathocles Babylonius l.1.de Cyzico, narrat, quòd ſues ſacra animalia habentur apud Cretas. Jovem in Creta natum eſſe arbitrantur in Dycta, ubi arcana ſacrificia celebrantur, cui ſuem feminam uber præbuiſſe narrant, ſuoque grunnitu circumeuntem effeciſſe, ne iis, qui erant præſentes, infantis ejulatus audiretur, ac idcircò hoc animal protegere ſolitum omnes putarunt, ac neque carnes cædere patiuntur. *Athen.l.6.c.5.*

Magos à ZOROASTRE ajunt in præcipuo honore habere terreſtrem echinum; abhorrere verò ab aquaticis muribus: eumque, qui palàm plurimos interemit, diis carum à pleriſque, ac beatum numerari. *Plut.lib.4. Quæſt.conv.5.*

Reptilia.

Quod ſerpens ex Epidauro advectus, ſalutaris fuerit ROMANIS, malorum dæmonum præſtigiis jure imputatur: quibus G præpotens alioqui populus tam perditis ſervivit, quàm humanis gentibus fortiter imperavit. *Sab.lib.4.c.1.*

LITUANI olim viperas, atque ſerpentes divinitatis non exortas eſſe credebant, & alebantur ii quaſi lares quidam familiares in ſingulis domibus, atque familiis: & lac eis libabatur, & galli gallinacei immolabantur. Erat inauſpicatum, & exitiale toti familiæ, quenquam ex his occidiſſe, aut violaſſe. *Cromerus lib.15.*

Sunt inter SAMOGITAS agreſtes idololatriæ complures, qui ſerpentes quoſdam, quatuor brevibus lacertarum inſtar pedibus, nigro, obeſoque corpore, Gyvoitos patria lingua dictos, tanquam penates domi ſuæ nutriunt, eoſque domo luſtrata certis diebus ad oppoſitum cibum prorepentes, cum tota familia, quoad ſaturati in locum ſuum revertantur, timore quodam circumſtantes venerantur. Quòd ſi adverſi illis quid acciderit, ſerpentem deum domeſticum malè acceptum, ac ſaturatum, eſſe credunt. *Guagninus in deſcript.Lituaniæ.*

Accidit hoc noſtra ætate in LITUANIA, ſex à Vilna milliaribus, in pago quodam juxta civitatem Troki, quod quidam Chriſtianus ab hujuſmodi ſerpentis cultore aliquot alvearia apum emit: Quem cùm ad verum Chriſti cultum multò labore adduxiſſet, utque ſerpentem, quem colebat, occidere perſuaſiſſet, aliquanto poſt, cum ad viſendas apes ſuas eo reverſus fuiſſet, hominem facie deformatum, ore aures tenus miſera- H bilem in modum diducto, offendit. Tanti mali cauſam interrogatus, reſpondit: Se, quod ſerpenti deo ſuo domeſtico manus nefarias injeciſſet, ad piaculum expiandum hac calamitate puniri, multòque graviora, ſi ad priores ritus ſuos non rediret, ſe pati oportere. Eſt quatuor à Vilna milliaribus Lavariski villa regia, in qua à multis adhuc ſerpentes coluntur.

Eorum qui ſub arctico habitant Septentionalium nonnulli, quicquid primo diluculò in cœlo, terra, vel aquis vivum apparuerit, toto eo die uſque ad crepuſculum pro numine colunt: utpotè aves, animalia, piſces, ac ipſos ſerpentes, & vermes, & præcipuè cervum volantem; quem ob cornua, quibus capita juvenum exornantur, inter nobiliora reptilia honorant. His oblationes ex oſſibus ſylveſtrium animalium, & grandium cetorum, ac piſcium venatione quæſitas faciunt: quæ æſtivo tempore non incendunt, ſed hyeme in publicis congreſſibus comburunt, eo ſacrificio reverentiam numinibus A ſe exhibere credentes. *Olaus Magnus lib.3.c.2.*

Homines vivi culti.

Plutarchus in Quæſt.Græcanicis, unde ſit natum adagium, Nemo benemertio bovem immolat, præter PYRRHIAM, enarrat ad hunc modum: Navis quædam piratica appulit ad inſulam Ithacenſem, in qua fortè fortuna ſenex quidam erat, unà cum cadis fictilibus plenis pice. Pyrrhias quidam Ithacenſis, negotiator, ſenem dato precio redemit à piratis, non ob id quòd eo ſibi foret opus, ſed partim quòd miſertus eſſet ſenilis fortunæ, partim hominis oratione perſuaſus. Emit autem unà cum ſene cados illos picarios, idque auctore ſene. Deinde profectis piratis, quò Pyrrhiæ gratiam referret ſenex, quòd non ob lucri cupiditatem, ſed ob benevolentiam ſeſe liberum feciſſet, indicavit in cadis multam pecuniæ vim pici admixtam abditam eſſe. Qua reperta, cùm Pyrrhias derepentè dives eſſet redditus, tum magnificè collaudavit ſenis erga ſe gratitudinem, tum eidem bovem immolavit officii præmium. Atque hinc re jam pervulgata natum proverbium, de gratia prolixè relata. Veteres enim regale ſacrum, & magnificum, opiparumque convivium βουθυσίαν appellabant. *Eraſ-* B *mus in Adagiis.*

Mortui homines culti.

Julius Firmicus in lib. de Errore profanarum religionum: In plurimis, inquit, Orientis civitatibus, licèt hoc malum etiam ad nos tranſitum fecerit, ADONIS quaſi maritus plangitur Veneris, & percuſſor ejus, vulnuſque monſtratur circumſtantibus. Mars enim in porci ſylveſtris ſpeciem formamque mutatus, ut ſibi primas partes in amore Veneris vindicaret, incautè contra ſe ruentem percutit juvenem. Nocte ſimulacrum in lectica ſupinum ponitur, & per numeros digeſtis fletibus plangitur. Deinde cùm ſe ficta lamentatione ſatiaverint, lumen infertur. Tunc à ſacerdote omnium qui fleverant, fauces unguntur, quibus perunctis ſacerdos hoc lento murmure ſuſurrat: θαρρεῖτε τῷ θεῷ ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία, atque ita cum gaudio idolum de ſepultura profertur.

ADONIS, quia juxta gentilem fabulam in menſe Junio amaſius Veneris, & pulcherrimus juvenis occiſus, & deinceps revixiſſe narratur: eundem Junium menſem Hebræi idololatriæ olim C eodem appellarunt nomine: & anniverſarium ei celebrarunt mulierculę ſolemnitatem, in qua plangebatur à mulieribus quaſi mortuus: & poſteà reviviſcens canebatur atque laudabatur. *Hier.com.lib.3.in Ezech.c.28.*

HARPOCRATES inter numina Ægyptiorum reputatus, ex Iſide & Oſiride natus, quoniam præmaturo partu editus erat, tanquam mutus, & elinguis, præſul ſilentii, & taciturnitatis habitus eſt: ideò digito obſignante ore effingebatur. *Alex. lib.2.cap.19.*

Originem, & ceremonias LIBERI Cretenſis, *Julius Firmicus in lib. de Eerrore profan. relig.* commemorat. Liber Jovis fuit filius, regis Cretici. Hic cùm fuiſſet adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem ſtudioſiùs, quàm decebat. Uxor Jovis Juno, novercalis animi furore commota ad necem infantis omnifariam parabat inſidias. Proficiſcens peregrè pater, cuſtodibus tutelam credit filii. Juno inflammata, quia proficiſcens pater, & ſellam regni puero tradiderat, & ſceptrum, cuſtodes primùm muneribus corrupit. Deinde ſatellites ſuos, qui Titanes vocabantur, interioribus regiæ locat partibus: & crepundiis, ac ſpeculo fabrefacto, animos ita puriles illexit, ut de-D ſertis regiis ſedibus, ad inſidiarum locum duceretur. Illic interceptus trucidatur, & ut nullum poſſet necis inveniri veſtigium, particulatim membra conſciſſa ſatellitum ſibi dividit turba, & quia vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra conſumunt, ut humani cadaveris inauditis uſque in illum diem epulis veſcerentur. Cor viſum ſibi ſoror ſervat Minerva: & ut manifeſtum delationis eſſet indicium, & ut haberet unde furentis patris impetum mitigaret. Reverſo Jovi filia ordinem facinoris exponit. Pater, Titanes vario genere excruciatos necat. Imaginem ejus ex gypſo plaſtico opere perfecit: & cor, ex quo facinus fuerat ſorore deferente detectum, in ea parte plaſtæ collocat, qua pectoris fuerant lineamenta formata. Poſt hæc pro tumulo exſtruit templum, & pædagogum pueri conſtituit ſacerdotem Silenum. Cretenſes feſto funeris dies ſtatuunt, & annum ſacrum trieterica conſecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut paſſus eſt. Vivum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis commemorantibus exci- E tantes: & per ſecreta ſylvarum clamoribus diſſonis ejulantes, fingunt animæ furentis inſaniam, ut illud facinus non per fraudem factum, ſed per inſaniam crederetur. Præfertur ciſta, in qua cor ſoror latenter abſconderat: tibiarum cantu, & cymbalorum tinnitu, crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiuntur. Sic in honorem tyranni à ſerviente plebe Deus factus eſt, qui habere non potuit ſepulturam.

Quid Eleuſinis ſacris contineretur, ſic Euſebius docet ex Clemente: Quidam, inquit, ajunt, MELAMPODEM Amythaonis filium ab Ægypto in Græciam luctum Cereris ſolemniter celebratum reportaſſe. Ceres peperit: educatur puella: Perephattem nonnulli appellant: cui Jupiter, qui genuit, draco factus conjungitur, inde in Savatiorum myſteriis draco in ſpiram involutus in ſacrificiis ad factorum memoriam, immò verò in teſtimonium tantæ rurpitudinis, ut ego dixerim, adhibetur. Peperit & Perephatte tauriformem filium: unde poetæ quidam taurum laudant Draconis patrem, & Draconem rurſus tauri patrem: & in monte arcana hæc facta ducentes, paſtoralem ſtimulum celebrabant, paſtoralem, ut puto, ſtimulum ferulam, quod genus ligni bacchantes ferunt. Nequeo latiùs hujus Perephattæ ſacra enarrare, quaſillum, rapinam Idoneræ terræ hiatum, ſues Eubolei, quas eodem hiatu ſimul, & duas deas abſorptas ajunt fuiſſe: unde & Megareum in Theſmophoriis F ſuis immittunt: quæ ſacra variis modis mulieres, quoniam hæc fabula variè narratur, per civitates Græciæ celebrant, Theſmophoria, Scirophoria, Inephabiliphoria vocantes, & multis modis Perephattæ rapinam complorantes. Tantum Clemens, interprete Gregorio Trapezuntio. *L.Vives in lib.2. Auguſt.de Civ. Dei, c.20.*

Cur inferorum dea credita ſit HECATE, Sophron fabulam hujuſmodi recitavit, ut ait Theocriti enarrator. Cùm Jupiter Junonem aliquando compreſſiſſet, nata eſt puella, Angelus nomine, quæ Nymphis educanda data fuit. Illa cùm adoleviſſet, unguentum, quo Juno fuci loco utebatur, occultavit, & Europæ Phœnicis filiæ tradidit. Juno cùm vellet in illam animadvertere, Angelus in domum mulieris, quæ nuper pepererat, confugit: inde ad efferentes mortuum. Itaque deſtitit Juno. Jupiter Cabarnos illam expiare juſſit: qui in Acheruſiam portantes expiarunt. Hinc mortuorum & terreſtri dea credita eſt: & quia longè abſit, ab ἑκάς, procul vocata Hecate, aut quia ab illa recedendum ſit: aut quia c.obeat munia in negotiis naturæ, ab ἑκατὸν. *N.Comes Mythol. lib.3.cap.15.*

AUGILÆ, qui ultra Cyrenum ſunt, nullos deos, præter de- G functorum manes, putabant: & ab illis, ubi tumulis incubuere, per ſomnia reſponſa accipiebant. *Alex.lib.5.c.56.*

In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vaſtitatis petra eſt, cui nomen eſt AGDUS, regionis ejus ab indigenis ſic vocatæ. Ex ea lapides ſumptos, ſicut Themis mandaverat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactavit, & Pyrrha: ex quibus, cum cæteris, & hæc Magna quæ dicitur informata eſt mater, atque animata divinitus. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti, & ſomno, inceſtis Jupiter cupiditatibus appetivit. Sed cùm obluctatus diù, id quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hanc petra concepit, & mugitibus editis multis priùs, menſe naſcitur decimo, materno ab nomine cognominatus Acdeſtis. Huic robur invictum, & ferocitas animi fuerat intractabilis inſana & furialis libido, ex utroque ſexu: vi rapta devaſtare, diſperdere, immantias quo animi duxerat: non deos curare, non homines, nec præter ſe quicquam potentius credere: terras, cœlum, & ſidera contemnere. Cujus cùm audacia quibuſnam mo diſpoſſet vel debilitari, vel comprimi, ſæpenumerò eſ- H ſet deorum in deliberatione quæſitum, hæſitantibus cæteris, hujus muneris curam Liber in ſe ſuſcipit: familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat ſuetus, & ſitiendi lenire flagrantiam, ludo, & venationibus excitatam, validiſſima ſuccendit vi merì. Acdeſtis ſoporem in altiſſimum deprimitur. Liber, ex ſetis ſcientiſſimè complicatis unum plantæ iniicit laqueum, parte altera genitalibus injecta. Exolutus ille vi meri, corripit ſe impetu, & adducente nexus planta, ſuis ipſe ſe viribus, eo quo fuerat, privat ſexu. Ex ſanguine in terram defluente, malum repentè cum pomis Punicum naſcitur: cujus Nana ſpeciem contemplata, regis Sangarii fluminis filia, cùm in ſinu repoſuiſſet, fit ex eo prægnans. Tanquam vitiatam claudit pater, & curat, ut inedia moriatur. Pomis, atque aliis baccis ſuſtentatur à matre deroum. Enititur parvulum. Sed exponi Sangarius præcipit. Rupertum neſcio quis ſumit, format, lacte alit hirquino; & quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat, vel quia hircos

Phryges ſuis Aragos elocutionibus nuncupat, inde Atys no- A men, ut ſortiretur effluxit. Hunc unicè mater deorum diligebat, nec minus Acdeſtis, qua ſolùm poterat amans, ſaltuoſa illum ducebat per nemora, & ferarum multis muneribus donabat. Quæ puer Atys primò ſui eſſe dicebat laboris, atque operis, per vinum deinde confitetur, & ab Acdeſti ſe diligi, & ab eo donis iis honorari. Unde vinum, quod ſilentium prodidit, in ejus nefas eſt ſanctuarium inferre pollutis. Tunc Peſſinuntius rex Midas, alienare cupiens tam infami puerum conjunctione, matrimonio ejus ſuam filiam deſtinat: ac ne ſævus aliquis nuptialia interrumperet gaudia, fecit oppidum claudi. Verùm deorum mater adoleſcentuli fatum ſciens, interque homines illum tamdiù futurum ſalvum, quamdiù eſſet ſolutus à matrimonii fœdere, ne quid accederet mœſti, civitatem ingreditur clauſam, muris ejus capite ſublevatis: quod eſſe territum ratione ab hac cœpit. Acdeſtis ira ardens convivantibus cunctis furorem, & inſaniam ſuggerit, conclamant exterriti adorandorum phryges: mammas ſibi demetit Galli filia pellicis: rapit Atys teſtulam, quam inſtigator ipſe geſtitabat, inſaniæ furiarum & ipſe jam plenus, perbacchatus, jactatus B proiicit ſe tandem, & ſub pini arbore genialia ſibi deſecat, dicens: Tibi Acdeſti hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcriminum concitaſti. Evolat cum profluvio ſanguinis vita: ſed abſciſſa quæ fuerant, Magna legit mater deorum, & iniicit his terram, veſte priùs tectis, atque involutis defuncti. Fluore de ſanguinis viola flos naſcitur, & redimitur ex hac arbos. Inde natum, & ortum eſt, nunc etiam ſacras velari, & coronari pinos. Virgo ſponſa quæ fuerat, quam Valerius Pontifex jam nomine fuiſſe ſcribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, dat lachrymas cùm Acdeſti, interficitque ſeipſam: purpurantes in violas cruor vertitur interemptæ, Mater ſuffodit eam deorum, unde amygdalus naſcitur, amaritudinem ſignificans funeris. Tunc arborem pinum ſub qua Atys nomine ſpoliaverat ſe viri in antrum ſuum defert, & ſociatis planctibus cum Acdeſti tundit, & ſauciat pectus. Jupiter rogatus ab Acdeſti, ut Atys reviviſceret, non ſinit: quod tamen fieri per Fatum poſſet, ſine ulla difficultate condonat, ne corpus ejus putreſcat: creſcant comæ ſemper, digitorum ut minimus vivat, & perpetuò ſolus agitetur motu. Quibus contentus beneficiis Acdeſtis, conſecravit corpus in Peſſinunte ceremoniis annuis, & ſacerdotum antiſtibus honoravit. *Arnob. lib. 5.*

Belus, qui Ninum procreavit, rex fuit Aſſyriorum, modico Imperio contentus, inclytus bellaci filio, à quo pro deo C & cultus eſt, & coli juſſus, dictuſque Jupiter Babylonius. Ægyptii Belum hunc ſuum eſſe volunt, illum, ex quo Ægyptus eſt natus, quem Neptuni, & Lybiæ F. dicunt, Epaphi, qui Libiam genuit, nepotem. Hic in babyloniam colonias deduxit: qui ſedem urbi ad Euphratem amnem cùm elegiſſet, ſacerdotes Ægyptio inſtituit more. Plinius Belum hunc, qui in Aſſyria ſacratiſſimus colitur, templumque ejus Babylone etiam ſua memoria duraret, ſideralis ſcientiæ inventorem fuiſſe perhibet, eique Aſſyrios gemam dicaſſe, qui Beli oculi dicitur. *L. Vives in l. 16. Aug. de Ciuit. Dei, c. 3.*

Ino, Inachi natam, Græci cuncti divinis honoribus conſecratam à barbaris arbitrantur, atque appellationem multis æquoribus, & fretis maximis ex ſe per claritatem ſuam reliquiſſe, caput etiam, & fontem illuſtriſſimarum, & ſplendidiſſimarum familiarum edidiſſe. Hanc Herodotus tradit permiſiſſe navibus onerariis ſe Phœniſſis, cùm ſtuprata non invita ab naviculatore fuiſſet, metueretque, ne eſſe prægnantem ſe palàm fieret: atque onerat Phœnicas mendacio, qui hæc illos prædicare de ea narrat. Rumorem etiam apud D Perſas vulgatum teſtari, poſtquam memoravit, hanc cum aliis mulieribus fuiſſe à Phœnicibus raptam: mox oſtendit, pulcherrimum Græciæ jactum, & primum ſtultitia perpetratum fuiſſe improbæ cauſa mulieris bellum Trojanum. Quippe patet, inquit, quòd niſi voluiſſent ipſæ, raptæ non fuiſſent. *Plut. de Herod. mal.*

Græci victores, deletam Trojam derelinquentes, & ad propria remeantes, diverſis, & horrendis cladibus dilacerati, atque contriti ſunt: & tamen etiam ex eiis ipſis deorum ſuorum numerum Veteres auxerunt, *Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 16.*

Græci Diomedem fecerunt deum, quem pœna divinitùs irrogata perhibent ad ſuos non revertiſſe, ejuſque ſocios in volucres fuiſſe converſos, non fabuloſo, poeticoque mendacio, ſed hiſtorica atteſtatione confirmant: quibus nec deus, ut putant, factus, humanam revocare naturam vel ipſe potuit, vel certe, à Jove ſuo rege tanquam cœlicola novitius impetravit. *Ibid.*

Livius, & Dionysius Floram à Rom. cultam, & Floralia in ipſius memoriam inſtituta, meretricem fuiſſe tradunt, cui ut E deæ ob id magnus eſt habitus honos, quòd pop. Rom. feciſſet hæredem: quæ & fructibus cunctis præeſſe credebatur. Colebatur autem à meretricibus cum coronis, & veſtium varietate, temporis lætitiam, florumque ſignificantibus. *Polyd. lib. 4. de Rerum invent.*

Pudenda Humana.

Ægyptii hircum deificarunt, ſicut & Græci Priapum propter eam corporis partem, à qua fit omnium ortus. Pudendis non ſolùm Ægyptii, qui ſtatuas puſillas immani membri virilis magnitudine effingebant, ſed alii plures ſacra faciunt, tanquam cauſæ animantium creationis. Sacerdotes quoque cùm in Ægypto ſacra patria ſuſcipiunt, primùm huic deo initiantur. Panas inſuper, & Satyros tradunt eadem de cauſa ab hominibus coli. Igitur & imagines horum plurimas nonnulli in gratiam fœcunditatis eorum in templis ponunt, in hirci naturæ, quam libidinoſam eſſe dicunt, ſimilitudinem. *Diod. lib. 1. cap. 7.*

A Thebanis tertio quoque anno ſacra Baccho celebrabantur F in Cytherone monte nocturna, quæ de tempore Nyctilena ſunt nominata, ut, inquit, Servius, ab annis Trieterica, ſeu triennalia. In eis erant phalli, ſicut *Herod. & Plut. libello de Cupiditate opum* perhibent, hoc eſt, ficulnea vetera, figurâ pudendi virilis: qui pòſt è rubro corio confici cœpere: quibus de collo, & mediis femoribus ſuſpenſis, Bacchanalibus in honorem Bacchi ſaltabant. *Suidas.* Hæc qui ferebant, φαλλοφόροι, & ἰθύφαλλοι dicebantur, etiamſi *Athen. l. 14.* indicat alios fuiſſe Ithyphallos, alios Pallophoros: illos geſſiſſe perſonam hominis temulenti, hos ſine perſona fuiſſe, quanquam & alios rebus differebant, Alludit huc *Ariſtophanes in Acharnenſibus*:

σφῷιν δ' ἐςὶν ὀρθὸς ἐκτέος
ὁ φαλλὸς ἐξόπιθες τῆν κανηφόρου.
ἐγὼ δ' ἀκολουθῶν, ᾄσομαι τὸ φαλλικόν. id eſt.
Vobis quidem rectus tenendus phallus eſt,
Eum ſequendo qui caniſtrum bajulat.
Poſt vos ego canam cantionem phallicam.

Servius exiſtimat Maronem item *Georg. lib. 2.* de piis phallis ſenſiſſe, cùm ſacra Bacchi deſcribens, de penſilibus oſcillis facit mentionem:

Oſcilla ex alta ſuſpendit mollia pinu.

Ea ſcribit è floribus concinnari ſolere, ad imaginem obſceni virorum membri, ac per intercolumnia ſuſpendi, quo qui in G ea incidiſſent, riſum moverent. Hinc igitur Baccho cognomen Erebinthi, que eundem ſimili de cauſa Morychum appellarunt, videlicet facilitate numinis contemptum invitante. *Eraſmus in Adagiis.*

Pegaſo imagines Dionyſii ex Eleutheris civitate Bœotiæ in Atticam regionem portante, Athenienſes deum neglexerunt, neque, ut mos erat, cum pompa acceperunt. Quare deus indignatus pudenda hominum morbo infeſtavit, qui erat illis graviſſimus. Ab oraculo, quo pacto liberari poſſent, petentibus, reſponſum, ut cum honore, & pompa deum reciperent. Ex ea re tum privatim, tum publicè lignea virilia thyrſis alligantes per eam ſolemnitatem geſtabant: fuit enim Phallus vocatum membrum virile. Alii Phallum ideò conſecratum Dionyſio putarunt, quia ſit auctor creditus generationis. *N. Comes Mythol. lib. 5. c. 13.*

Menſe Auguſto Romæ matronæ virilis membri figuram divinis percolebant honoribus, quam extra portam Collinam ad ædem Veneris, cum pompa ſacrorum deferebant, Ægyptiorum more: mox à caſtiſſima, & ſpectatæ pudicitiæ matrona, præter matronale decus, in ſinu Veneris locabatur. *Alex. lib.* H *3. c. 18. ex Auguſt. l. 6. de Civit. Dei, c. 9.*

Imagines in Eleuſiniis deorum hæ fuerunt, Creatoris, quam geſtabat antiſtes Hierophantes: Solis, quam facifer: lunæ quam miniſter ad aram: Mercurii, quam præco ſacrorum: quemadmodum in ſacris Dionyſii circumferebatur Priapus, ita in iſtis natura muliebris, ut Theodoretus teſtatur: qui etiam affirmat, Jovem cum Cerere matre, & cum Proſerpina filia concubuiſſe. Et hæc erant ſacra, ad quæ non patebat aditus prẹterquam initiàtis, & in quæ nemini licebat penetrare, qui ſibi ſceleris perpetrati conſcius eſſet, id præcone conclamante. *L. Vives in l. 2. Aug. de Ciu. Dei, c. 20.*

Ova.

In Liberi patris ſacris Ovum colitur, ita ut ex forma teneri, ac

A penè ſphærali, atque undique verſum clauſa, & includente intra ſe vitam, Mundi ſimulacrum vocetur. *Macrob. lib. 7. Satur. c. 16.*

Affectus, Perturbationes animi.

Sunt apud Lacedæmonios non timoris modò, verùm etiam riſus, atque aliorum ejuſcemodi affectuum templa. Timorem autem venerantur, non quòd, ſicut quos deteſtantur Lares, arbitrantur noxium: ſed quòd contineri reipubl. inprimis arbitrentur timore. *Plut. in Cleomene.*

Miſericordiæ, Pudori, Athenis viſuntur aræ.

Theophrastus in lib. de Legibus prodidit, apud Athenienſes aras fuiſſe Contumeliæ, & Impudentiæ dicatas. Idem atteſtatur. *Iſtrus l. 14. item M. Tollius l. de legibus 2.* Nam illud vitioſum Athenis, quòd Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Cretenſi ſuadente, fecerunt Contumeliæ fanum, & Impudentiæ: virtutes enim non vitia conſecrare decet. *Eraſmus in Adagiis.*

Romani Vitulinam deam, quòd lætitiæ præeſſet, magno cultu ſemper habuere. Timorem item, & Pallorem, ne quid obeſſent, neve aliquid afferrent incommodi, perſanctè habuere, quos cane, & ove placabant. *Alex. lib. 1. c. 13.*

Angeroniæ deæ Pontifices Rom. olim XII. Cal. Jan. in ſacello Volupiæ ſacrum faciebant. Angeronia dicta, quòd Angores B hominum depellat, teſte Verrio Flacco, Simulacrum ejus ore obligato, & obſignato in ara Volupiæ dedicatum, quòd qui ſuos dolores diſſimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. *Macrob. l. 1. Saturn. c. 10.*

Corporis affectus, Senectus, Fames, Morbi, Mors.

Lacedæmonii Morti templum poſuere. Athenienſes Fami, & Appetitioni aras. *Alex. l. 1. c. 13.* Cùm aliquando Athenis ſumma fame laboraretur, Athenienſes oraculum admonuit, ut Famem, loco deſignato, certis piaculis placarent. Illi deſignarunt campum, qui eſt poſt Ærarium. Atque hinc eum locum, Famis campum appellarunt. *Eraſmus in Adagiis.*

Iidem Morti, ut communi quieti, & portui miſerarium, poſt exantlatos labores, divinos tribuere honores. *Ælianus de Varia hiſtoria.*

Apud Gaderam in Hiſpania extat templum Senectutis, quòd maximè ætatem, utpote magiſtram rerum, venerentur, *Idem.*

Sacra quædam ſunt Caroneorum Boetorum patria, quibus Archon in Ara publica operatur, alius quiſque domi ſuæ. Appellantur C Βουλίμου ἐξέλασις, Bulimi exterminatio, unumque ex ſervis virgis cædunt viticeis, inde expellunt domo his verbis ἔξω βούλιμον ἢ πλοῦτον κ᾽ ὑγίειαν, Foras bulimum, intrò opes, & ſanitatem. Inter Plutarchi igitur ſympotas *l. 6. Conv. q. 8.* quærebatur de ipſo nomine, deinde de voce, qua perſequuntur eum, quem pellunt, præcipuè de illo vitio, deque iis, quæque in eo accidere ſolent. Ac bulimum quidem videbatur magnum, vel publicum ſignificare, maximè apud Æoles, qui pro *b*, literam *p* uſurpabant. Neque enim bulimum, ſed polylimum quaſi polymum alii efferunt. Apparebat autem Bubroſtim diſcrepare ab eo. Cujus rei documentum ex Metrodori libro de rebus Jonicis petitur, qui Smyrneos tradit (qui quondam Æoles fuere) Bubroſti tantùm nigrum immolare, conciſumque in fruſta totum non excoriatum adolere. Nempè quia germen eſſe morbi videtur fames, præſertim canina, affecto contra naturam corpore, ſcitè opponunt illi, ut inopiæ divitias, & ut morbo ſanitatem.

Romani Febrem, ad minus nocendum, templis colebant: quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monimentorum, tertium in ſumma parte Vici longi extat. In eaque remedia, quæ corporibus ægrorum adnexa fuerant, deD ferebantur, ad humanæ mentis æſtûs leniendos cum aliqua uſus ratione excogitata. *Valerius lib. 2. c. 1.*

Paupertas.

Apud Gaderam in Hiſpania, Paupertati & Fortunæ ſacra conſtituere, ut per hæc altera placetur, altera remedium paupertati obveniat. *Ælianus de Var. hiſt.*

Simulacra.

☞ *Paulò poſt locum de Simulacris per ſe conſideratis tractabimus. Hìc reſpectu Cultus deorum.*

Trientes.

Servilia familia illuſtris in faſtis Romanis trientem æreum paſcit auro, & argento, conſumentem utrumque: Origo, atque natura ejus incomperta eſt mihi. Verba (inquit. *Plin. l. 34. c. 13.* ipſa de ea re Meſſalæ ſenis ponam: Serviliorum familia habet trientem ſacrum, cui ſumma cum cura, magnificentiaque ſacra E quotannis faciunt: quem ferunt aliàs creviſſe, aliàs decreviſſe videri, & ex eo aut honorem, aut diminutionem familiæ ſignificari.

Sceptra.

Deorum omnium maximè colunt Cherronenſes ſceptrum illud (Haſtam vocant) quod Jovi fabricaſſe Uulcanum cecinit Homerus: à Jove acceptum, Mercurium dediſſe Pelopi: Pelopem Atreo reliquiſſe: Atreum Thyeſti: à Thyeſte per manus traditum renuiſſe Agamemnonem: Divinitatis ei neſcio quid ineſſe declarat, id quod ex ipſo ab hominibus cernitur. In Panopenſium finibus, qui ſunt in Phocide, illud tepertum Cherronenſes dicunt, aurum etiam cùm eo, ſed facilè à Phocenſibus aurum retineri paſſos, modò ut ipſi ſceptrum haberent. Ab Electra Agamemnonis filia in Phocidem exportatum putarim. Templum ei nullum eſt publicè dedicatum, ſed quotannis ſacri ejus curator in ſuis ædibus ſceptum ſtatuit: ei res divina quotidie fit, menſa appoſita cujuſvis generis carnibus, & bellariis referta. Omnium verò Vulcani operum, quæ & poetarum carmina, & aſſentiens hominum fama celebravit, aliud ſanè nullum quàm ſceptrum hoc magna dignandum æſtimatione, eſt fide hominum receptum. *Pauſanias in Bœoticis.* F

Gladius, Clypeus.

Scythæ ſub aggere ſarmentorum quadrato, in quem quotannis CL. ſarmentorum plauſtra reponunt, ferreum acinacem, qui ſingulis vetuſtus eſt, recondunt. Idq; eſt Martis ſimulacrum, cui annuas hoſtias offerunt, cùm aliorum pecorum, tum equorum: & plus huic acinaci, quàm cæteris diis. Ex captivis centeſimum quemque immolant, non eodem quo pecora modo, ſed diverſo. Nam ubi eorum capitibus vinum libaverunt, ipſos ad quoddam vas mactant: de hinc eiiſdem in congeriem ſarmentorum ſublatis, acinacem cruore perfundunt: Hæc quidem ſuprà conferunt: inferius autem ad templum illa faciunt. Virorum interemptorum omnes humeros dextros præcidunt, quos unà cùm manibus in aerem jaciunt: quocumque deciderit manus, ibi jacet, & ſeorſum mortuus. Cæteris deinde ſolemnibus confectis, abeunt. *Herod. lib. 4.*

Pannus, Peplus, Vexillum.

Septentrionales, qui ſub polo habitant, inter reliquas inſanias rubeum quoq; pannum pertica, vel haſta ſurſum appenſum venerantur, divinam quandam virtutem, propter colorem rubeu, animalium ſanguini ſimilem, eidem ineſſe putantes. Ejuſque G inſpectione, arbitrantur ſe fortunatiores fore belluarum interemptores, earum ſanguinem ebibentes. *Olaus l. 3. c. 2.*

Rugiani in Arcone urbe à Valdemaro Danorum rege obſeſſi, portam urbis unicam ingenti glebarum acervo obſtruxerant, aditumque coacta ceſpitum compage claudentes, tantùm ex eo opere fiduciæ contrahebant, ut turrim, quæ ſupra portam ſita fuerat, ſignis tantùm, aquiliſq; protegerent; inter quas erat Stanitia, magnitudine, ac colore inſignis, cui tantùm venerationis à populo Rugiano tributum eſt, quantum omnium penè deorum majeſtas obtinuit. Eam enim præ ſe ferentes, in humana, divinaque graſſandi poteſtatem habebant, nec quicquam eis, quod libitum foret, illicitum habebatur. Populari urbes, aras demoliri, fas, ac nefas in æquo ponere, cunctoſque Rugiæ penates aut minis, aut incendiis evertere licebat: tantùmque ſuperſtitioni indultum eſt, ut exigui panni auctoritas regiæ poteſtatis vires tranſcenderet. Plectentes ſigno perinde, ac divino geſtamini, honorem habebant, officiis damna injurias obſequiis rependentes. *Saxo lib. 14.*

MODI RESPECTU. H
Quomodo.

In Genere. Timore. Veneratione.

Varro à Superſtitioſo dicit timeri deos: à Religioſo autem tantùm vereri, ut parentes, non ut hoſtes timeri atque omnes ita bonos dicit, ut facilius ſit eos nocentibus parcere, quàm lædere quemquam innocentem. D. Auguſt. lib. 6. de Civitate Dei, cap. 9.

Deli ara eſt Apollinis γεννήτορος, in qua nullum animal ſacrificatur (quam Pythagoram, velat inviolatam, adoraſſe produnt) ſed tantùm ſolemni prece Deum venerantur. *Macrob. lib. 3. cap. 6. Saturn.*

A SUPPLICATIONE, PRECATIONE, INVOCATIONE.

☞ *Vide Locum Precum.*

Sacrificia, ſupplicationeſque, & ludos ſolebant Romani ex minutula etiam occaſione inſtaurare. Siquidem ſi unus equus thenſas ducentium elanguiſſet, itemque ſi læva manu prehendiſſet auriga habenas, ſupplicationem decernebant inſtaurandam. *Plut, in Coriolano.*

Qui vetere cultu deorum deos invocabant, nominibuſque ipſos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, ſi fortè non ſuo, nec grato illis nomine vocaſſent, ſæpè veniam errati ſui petebant: totoſque ſe ad eorum voluntatem referebant in arbitrio ipſorum ponentes, ut è multis id nomen adſciſcerent, quo magis delectarentur, ſuæque inſcitiæ ignoſcerent. Hoc fecit accuratè CATULLUS; ritumque hunc cuſtodivit in hymno ad Dianam: cùm enim pluribus nominibus deam hanc ipſam vocaſſet, ad extremum, inquit: Sis quocunque tibi placet Sancta nomine. *Æſchylus* quoque in *Agamemnone* meminit, & *Eurip. & Plato in Philebo. Victorius l.13.Var.lect.c.2.*

B *Athenæus lib.4.* docet, Veteres nunquam cibum cepiſſe, niſi priùs deos placaſſent.

Invocabant Ægyptii ibides ſuas contra ſerpentium adventum, *Plinius l.10.c.27.& 28.*

FABULIS, FIGMENTIS HUMANIS.

Plutarchus in vita Romuli. Eos cœlum terræ miſcere ait, qui ex hominibus deos, ex diis homines faciunt, & quæ ſunt hominum, fabulantur de diis. ἀπογνῶναι μὲν ἂν παντὶ πάσι τὴν θειότητα τῆς ἀρετῆς, ἀνόσιον, καὶ ἀγεννὲς· ὐρανῷ δὲ μιγνύειν γῆν, ἀβέλτερον, id eſt, In totum abnegare divinitatem virtutis, impium eſt, & ingeneroſum: cæterùm cœlo miſcere terram, ſtuporis eſt.

EVOCATIONE.

Romani cùm obſiderent urbem hoſtium, eamque jam capi poſſe confiderent, certo carmine evocabant tutelares deos: quòd aut aliter urbem capi poſſe non crederent: aut etiam ſi poſſet, nefas exiſtimarent, deos habere captivos. Nam propterea ipſi Romanis, & deum, in cujus tutela urbs Roma eſt, & ipſius urbis Latinum nomen ignotum eſſe voluerunt. Alii Jovem crediderunt, alii Lunam. Sunt, qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilentium denuntiat. Alii autem, quorum mihi fides videtur firmior, Opem Conſiviam eſſe dixerunt. Ipſius verò C urbis nomen etiam doctiſſimis ignoratum eſt: caventibus Romanis, ne, quod ſæpè adverſus urbes hoſtium feciſſe ſe noverant, idem ipſi quoque hoſtili evocatione paterentur, ſi tutelæ ſuæ nomen divulgaretur. *Macrob.l.3.c.9.*

Saturn. & Plin.l.29.c.2. Arnobius verò contra Gentes, caput hominis in fundamenti arcis inventum, genii tutelaris fuiſſe ait, eumque Tolum dictum. Unde Capitolium pòſt, quaſi caput Toli nomen habuit. Cæterùm id non niſi Auguribus notum erat. Proſtituto demùm per Chriſtianam religionem ethniciſmo, ſuperſtitioſum quoque nomen evulgatum fuit.

PRÆDICATIONE, CONFESSIONE.

L. CORN. SYLLA Fortunæ ſe beneficio res tantas geſſiſſe dictitabat, non virtute propria. Nimirum ſuperſtitioſa in hoc animo juſtitia latebat. *Plut. in Sylla.*

FURORE, BACCHATIONE.

D Sacerdotes Gallos nuncuparunt à Gallo amne Phyrygiæ, cujus aqua phanaticos potantes reddit. Ipſi quoque Galli inſani caput per furorem rotant, cultriſque faciem, & muſculos corporis totius diſſecant: morſibus quoque ſeipſos impetunt, cùm majore ſe correptos furore vel ſimulant, vel reverà ſentiunt. *L.Vives in l.2. Aug.de Ciu.Dei.c.4.*

LAMENTATIONE, LUCTU SACRO.

Iſis perditum filium, cum Cynocephalo ſuo, & aliis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infenſiſſimæ matris imitantur. Mox invento parvulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur: nec deſinunt annis omnibus, vel perdere, quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Hæc Ægyptia quondam tunc, & ſacra Romana ſunt. *Arnob.l.8.contra Gentes.* In ſacris Iſiacis de pinea arbore cæditur truncus: hujus trunci media pars ſubtiliter excavatur, illis de ſegminibus factum idolum Oſiridis ſepelitur in adytis: hoc annuis luctibus plangunt, raſa capita tundunt, pectus lacerant, veterum vulnerum reſecant E cicatrices. Et cum certis diebus hæc fecerunt, fingunt ſe lacerati corporis reliquias reperire: & cùm invenerint, quaſi ſopitis luctibus gaudent. *Julius Firmicus*, originem hujus idololatriæ ibidem commemorat: Iſis ſoror eſt, Oſyris frater, Typhon maritus. Is cùm comperiſſet Iſidem uxorem inceſtis fratri cupiditatibus corruptum eſſe, occidit Oſyrim, artuatimque laceravit, per omnes Nili fluminis ripas miſeri corporis palpitantia membra projecit. Iſis cùm ſorore, & Anubi venatore quærit diſcerpti fratris membra, quæ Anubis artificio canum veſtigantium invenit: unde & canino capite pingitur. Inventum Oſyrim Iſis ſepulturæ tradit, & in rei memoriam publicam ceremoniam inſtituit.

Eleuſiniorum ſacrorum ludicra in CERERIS honorem inſtituta. In Proſerpinæ ſacris cæſa arbor in effigiem virginis componitur: & intra civitatem illata, uſque ad XL. noctem deplorata comburitur. *Jul.Firmicus in l.de Errore profan.relig.*

MALEDICENTIA.

Apud Lindum, quod eſt oppidum Rhodi inſulæ, HERCULIS ſacra maledictis, & execrationibus celebrabantur. Eaque pro F violatis habebantur, ſi quando inter ſolemnes ritus, vel imprudenti alicui excidiſſet bonum verbum. *Lactantius lib.1. de Inſtit.relig. Chriſt.*

Idem in ſacris Eleuſinis, quæ Magna dicta ſunt, factitatum comperimus, in quibus mulieres mutuis probris, convitiiſque ſe inceſſere, & maledictis ſolent convitiari. Et in feſto, quod Lenæum Athenienſes vocant, fœda convitia per riſum, & jocum invicem poetæ jactitant, & contumeliis ſe laceſſunt. *Alex. lib.2.cap.14.*

Simulacrum Ideæ matris probroſis verbis, cùm propitiatum numen noluerunt, proſequebantur ſacerdotes Romæ ad Almonem uſque fluvium, & quæ ne impudica quidem femina æquis auribus audiviſſet, alta, claraque voce in hymnis, qui illic canebantur, audiente populo, in deorum matrem jactabantur. *Sabell.l.4.c.1.*

PROSTITUTIONE.

Omnia Perſarum templa, tam Medi, quàm Armeni in veneratione habent, Anaidis templa præcipuè Armenii, cùm in cæteris locis ea ædificantes, tum etiam in Acileſina dedicant illis ſervos, ac ſervas: quinetiam nobiliſſimi filias ſuas, quibus lex eſt, ut diù apud deam proſtitutæ nuptui dentur, nullo renuente talibus conjugari. Hujuſmodi quiddam Herodotus de G Lydis cõmemorat; quæ omnes meretricantur, & tam benignè amatoribus ſuis utuntur, ut eos hoſpitio ſuſcipiant, & donadent plura etiam quàm accedere, quippe quæ à copioſis dotibus ſuppeditantur Accipiunt tamen non quoſcumque hoſpites, ſed eos maximè, qui æquè ſunt digni. *Strabo lib.11.*

De cultu VENERIS apud Phœnices, *Euſebius lib 3. de vita Conſtantini* hæc refert, Nemus erat, & delubrum, extra publicam viam, ſpurco Veneris dæmoni in parte verticis montis Libani in fruticeto poſitum. Erat hic malitiæ ſcola omnibus laſcivis. Ubi viri non viri, muliebri modo dæmonem placabant. Deinde & illegitimi, ac furtivi mulierum congreſſus, arcanaque & turpia facta ibi exercebantur: nec quiſquam erat magiſtratus ea puniens, eò quòd nemo vir honeſtus illic comparere auderet. Conſtantinus Magnus Imper. delubrum illud funditùs unà cum ipſis ſacris delevit.

De cultu JUNONIS, quæ nunc Argiva, nunc Samia, nunc Pœna dicebatur (ut refert *Arnobius l.8.* hæc Julius Firmicus H in libro de Errore profanarum religionum refert: Huic deæ apud Aſſyrios, & Afros aliter ſervire ſacerdotum ſuorum chorus non poteſt, niſi virilem ſexum ornatu muliebri dedecorent. Videntur in ipſis templis miſeranda ludibria, viros muliebria pati: & hanc impuri, & impudici corporis labem glorioſa oſtentatione detegere. Publicant facinora ſua, & contaminati corporis vitium cum maxima delectationis macula confitentur. Exornat muliebriter nutritos crines: & delicatis amicti veſtibus vix caput laſſa cervice ſuſtentant. Deinde cùm ſic ſe alienos à viris fecerint, adimpleri tibiarum cantu vocant deam ſuam, ut nefario repleti ſpiritu, vanis hominibus quaſi futura prædicant.

Apud Naſamones ſponſa prima nocte cum ſingulis convivis coibat in honorem Veneris. *Golyd. lib.5. cap.9. de Invent. rerum.*

Alexandriæ ſimulacrum SATURNI religioſiſſimè colebatur: cujus ſacerdos, Tyrannus nomine, matronas ejus civitatis

tis quas elegiſſet, tanquam à Deo accitas, noctu ad ſimulacrum A adductabat, ibique extinctis repentè luminibus, cum eis rem habebat. Sic Tyrannus communis adulter libidinem explebat, Dei mentitus perſonam. *Ruffin.lib.11.Eccl.hiſt.*

Apud Novi orbis incolas quoſdam, eos potiſſimùm, qui Portum veterem, & Punam inſulam habitant, pæderaſtia tam frequens eſt, ut in templis catamitos alant pueros formoſiſſimos, muliebri habitu ornatos, vocem, inceſſum femineum æmulantes, qui idolorum curam gerunt, & diebus feſtis in honorem dæmonis ſeſe principibus, & regulis proſtituunt. *Petrus Cieza Tomo 1.hiſt.Peruviæ, c.64.*

NUDITATE.

Epiphanius de Eleuſiniis *ſacris l.3. tom.2. de Fide catholicæ Eccleſiæ*, inquit: In adytis fiunt turpia, mulierum denudationes, tympana, placentæ, rhombus, calathus, lana confecta, & cymbalon, & cyceon potus in phiala præparatus. *Arnob. lib.5. de Origine horum ſacrorum* hæc ſcribit: Quodam tempore, inquiunt, cùm in Sicilia legeret flores virgo Proſerpina, per profundæ altitudinis ſpeluncam rex proſiliens manium, raptam ſecum vexit. Ceres faces geminas, flammis comprehenſas Ætnęis B præferens, pergit ire quæſitum filiam: Eleuſinios etiam pervenitur fines in regione Attica. Pagum illum incolebant terrigenæ, Baubo, Triptolemus, capellarum Dyſaules cuſtos, Eubolcus porcorum, gregis Janicii Eumolpus, à quo & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen: & qui poſteà floruerunt caduceatores, hierophantæ, atque præcones. Baubo accipit hoſpitio Cererem, ſitienti offert potionem cymum, cyceonem quam nuncupat Græcia. Averſarur, & reſpuit mœrens dea: cùmque nullis quiret obſequiis flecti, vertit Baubo artes: & quam ſerio non quibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis. Partem illam corporis, per quam ſexus femineus, & ſobolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, facit ſumere habitum puriorem, & in ſpecie lævigati nondum duri, atque ſtriculi puſionis. Redit ad deam triſtem, & inter illa communia, quibus moris eſt frangere, ac temperare mœrores, retegit ſeipſam, atque omnia illa pudoris loca revelata monſtrat. Inguinibus, atque pubi affigit oculos Diva, & inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur. Tum diffuſior facta per riſum, aſpernatam ſumit, atque ebibit potionem: & quod diù nequivit verecundia Bau- C bonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcęnitas. Symbola, quæ rogati in ſacrorum acceptionibus reſpondebant, erant: Jejunavi, atque ebibi cyceonem: exta ſumpſi, & in calathum miſi: accepi rurſus, & in ciſtulam tranſtuli.

Mortuo Api apud Ægyptios, Sacerdotes ad id delecti vitulum priori ſimilem quærunt: quo invento, mulieres ſolæ taurum vident: quæ ante faciem ejus aſtantes, veſtibus ſublatis ei abraſum femen oſtentant. Reliquo tempore prohibentur in conſpectum hujus Dei accedere. *Diod.l.1.c.6.& Strabo l.17.*

Celebrantur à Rom. FLORÆ ludi, cum omni laſcivia, convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obſcenitas omnis effunditur; exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum luminum, cum pudendis moribus detinentur. *Lactantius l.1.& Auguſt.l.2.de Ciu.Dei c.26.*

Quòd apud Rom. nudo corpore Luperci vagarentur, obviamque turbam cæderent loris, inſanientium, non religionem colentium erat. *Val.lib.1.c.2.*

D

ABSTINENTIA ALIMENTORUM.

☞ *Vide infra, Cura ſuperſtitioſa, quoad ſeipſum.*

CASTRATIONI.

De cultu CYBELES matris deorum Firmicus hæc refert. Phryges, qui Peſſinuntem incolunt, circa Galli fluminis ripas Terræ cæterorum elementorum tribuunt principatum, & hanc volunt omnium eſſe matrem. Deinde ut ipſi annuum ſibi ſacrorum ordinem facerent, mulieris divitis, ac reginæ ſuæ amorem, quæ faſtum amati adoleſcentis tyrannicè voluit ulciſci, cum luctibus annuis conſecrarunt. Et ut ſatis iratæ mulieri facerent, aut ut pœnitenti ſolatium quærerent, quem paulò ante ſepelierant, revixiſſe jactarunt, & cùm mulieris animus ex impatientia nimii amoris arderet, mortuo adoleſcenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro injuria ſpretæ fecerat formæ; hoc à ſe pati voluere ſacerdotes, ita ut ſibiipſis teſta Samia virilia amputarent. Sic annuis ſacris, cum honore Terræ iſtius funeris pompa componitur: & cùm perſuaderetur hominibus, quòd colant E Terram, miſeri funeris venerantur exitium. Feſtus tamen, inquit, Gallos idcirco etiam ſe excidere, quòd violarint parentis nomen, ne & ipſi poſſint unquam parentes fieri.

FLAGELLATIONE.

Spartæ, Orthiæ Dianæ templum, & ſimulacrum è Taurica Cherſonneſe ab Oreſte, & Iphigenia ablatum, religione ſacroſanctum fuit. Cùm autem Lymnatæ, & Cynoſurenſes Spartani ſacrum deæ facientes ad jurgium, & cædes mutuas converſi eſſent, reliquos ſubita vis morbi abſumpſit. Inde oraculum acceptum eſt, eam aram humano ſanguine aſpergi oportere. Quare cùm antè ſorte duceretur immolandus, ſacri ritum Lycurgus ad puberum plagas tranſtulit: quò fit, ut hoc etiam ritu nihilo ferè minùs ſanguine humano ara imbuatur. *Pauſanias in Lacon. & Plut. in Lycurgo.*

VULNERIBUS.

BELLONÆ ſacerdotes non animali hoſtia, nec victima, ſed ſuo cruore ſacrificant. Gladios enim diſtrictos utraque manu tenentes, humeros ſibi, & lacertos tanquam phanatici diſſecant: hoc ſanguine litari, & crimina expiari putantes, ita ut pro vulneribus ſtipes recipiant. *Alex.lib.3.cap.12.* F

LAPIDUM PROJECTIONE.

Duarum quarundam Indiæ gentium, quæ vocantur Zenchia, & Albarachum, antiqua conſuetudo fuit, nudos, & decalvatos, magniſque ululatibus perſonantes, ſimulacra dæmonum circumire, angulos quoque oſculari, & proiicere lapides in acervum, qui quaſi pro honore diis extruebantur. Hinc in lib. Salomonis dicitur: Qui proiicit lapidem in acervum Mercurii. Faciebant autem hoc bis in anno, initio veris, & autumni. Hæc ergo conſuetudo cùm ab Indis ad Arebes deſcendiſſet, eamque ſuo tempore apud Mechã in honorem Veneris Mahometus celebrari reperiſſet ſic illam manere præcepit: cùm tamen cæteras idololatriæ præſtigias removiſſet. Illud verò ſoli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi ſolitum, ut lapilli retrò, id eſt, ſub genitalibus membris proiicerentur, eò quod Venus illis maximè partibus dominetur. Unde adhuc ita fit Mechæ in domo Dei, quam vocant illicitam, id eſt, ubi nihil licet, niſi quod ſacrum eſt. Verumtamen cùm hoc à nudis fieri ſoleret, inſtituerunt aliqui, ut projectores lapidum parvo ſaltem linteolo renes obtegerent, ne omnino denudati canum impudentiam imita- G rentur. Hanc inſaniam meritò creditur Mahometus ſalvam, & incolumem, cùm reliquas dæmonum culturas ceſſare præciperet, dimiſiſſe, ne dominam ſuam Venerem, in qua ſe eſſe potentiſſimum ipſe jactabat, penitùs ſine honore dimitteret. *Vicentius l.23.c.60. ex diſputatione Chriſtiani cum Turco.*

IMAGINUM PROJECTIONE.

Æneam habere oſcillationem in Italia, ut in Græcia ERRONEM Icari filiam, ex Feſto Pompejo conſtat, quando, inquit: Cauſa jactationis oſcillorum proditur, quòd Æneas Latinus, rex, prælio, quod ei fuit adverſùs Mezentium Ceritum regem nuſquam apparuerit, judicatuſque ſit Jupiter factus Latialis Itaque per ſex eos dies feriatos Aſcanius rex liberos, ſervoſque requirere juſſit, non ſolùm in terris, ſed etiam qua videretur cœlum poſſe adiri, per oſcillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima interdum ad infimum, infima ad ſummum efferuntur. Porrò oſcillum ab ore diminutivum eſt: ſic Columella oſcilla lupinorum dicit. Sunt autem imagunculę hominum. Santra ab oſcello deducit vetere verbo, quod eſt in- H clinare, quòd præcipites in os ferantur. *Lud.Vives in l.18.Aug. de Ciu.Dei, c.19.*

CERTAMINE, VEL *Propugnando.*

Ægyptii pugna fuſtuaria in urbe Papremi MARTEM colunt. *Herod.lib.2.*

Apud Auſes Africæ populum Minervæ ſacro, indigenæ puellæ fuſtibus inter ſe certabant, cum corporum pernicie.

Malabardes Indi, XI. Cal. Septemb. ſacrum ſolemne faciunt, in quo pueri arcubus armati, in ſodales per ludum ſagittas leviſſimas emittunt. Deinde ii, qui ætate magis provecti ſunt, ſimiliter tela coniiciunt, quibus multi graviſſimè ſauciati moriuntur. Cùm iis, qui ad hunc modum è vita diſcedunt, pręclarè actum putant, hos enim cenſent in cœlum, ut cùm diis ævum exigant, immigrare. Multa ſunt apud illos anniverſaria ſacra, in quibus quidam variis ſibi modis in maximo homi- num

num conventu, & celebritate vitam exhauriunt. *Oſorius l.2. re-*
A *rum Emmanuelis.*

Non repugnando.

CAMBYSES Peluſium oppugnabat. Ægyptii fortiter reſiſtentes, aditum Ægypti clauſerunt, multaſque machinas immiſerunt, catapultis acuta tela mittentes, ſaxa, atque ignem. Cambyſes, quotquot animalia Ægyptii deorum honore colunt canes, oves, feles, ibides ante ſuum exercitum collocavit. Ægyptii jaculari deſtiterunt, metuentes, ne ſacrum aliquod animal læderent. Ad hunc modum Cambyſes Peluſio capto, in Ægyptum pervenit. *Polyænus l.7.*

VICTIMIS.

☞ *Vide Titulum, Sacrificiorum.*

JEPHTHE Judæorum judex, parta victoria de hoſtibus, quicquid ſibi fines intranti patrios primùm obveniſſet, Deo ſe gratiarum nomine immolaturum vovit. Obvenit filia. Eam ſuperſtitioſus pater ad aram mactavit, tam in ſolvendo crudelis, quàm in promittendo voto inconſideratus.

Omnibus ferè diis ſuæ victimæ, & ſua ſacra conſtituta fuere apud veteres, quæ præterire, & tranſgredi non erat fas. Namque
B aliena hoſtia dii non placantur. *Vide Alex, ab Alex.l.3.c.12.*

Apud Ægyptios ſi ingens ingruerit ſiccitas, quæ effuſè, vel morbos peſtilentes, vel calamitates alias nec opinatas, & portentoſas inducat: quaſdam ex iis animantibus, quas venerantur, in tenebras rapiunt ſacerdotes ſubmiſſim, & ſilentio, comminanturque eis, & territant primùm. Sin durent, devovent eas, mactantque: quòd ſcilicet arbitrantur ſupplicium quoddam dæmonis eſſe, aut procurationem magnis in noxis magnam. Namque in Idithyæ oppido homines vivos, ut eſt Manethon auctor, concremaverunt, quos Typhonios appellabant: quorum cinerem incernentes ad nihilum redigebant, & diſſipabant. Ceterum hoc uno tempore diebus canicularibus propalàm agebatur. At quando beſtias, quas colunt, immolant: id remotis arbitris, & temporibus incertis pro re nata peragitur clàm vulgò: niſi ubi exequias agunt, tum aliarum aliquas monſtrant omnibus aſſiſtentibus, eaſque unà in tumulum coniiciunt, Typhonis rati repungere, & coercere oblectationem. *Plut. de Iſide.*

LYCURGUS quærenti, Quid hoſtias adeò exiguas, & viles præſcripſiſſet? Ne unquam, inquit, Deum intermittamus colere.
C *Plut. in Apoph.*

Proditum memoriæ eſt, cùm Aulide adverſis tempeſtatibus Græci detinerentur, ubi repentè ſecundi venti flare cœperunt, mactaſſe ſtatim eos Dianæ, quaſcunque, vel feminas, vel mares habuit quiſque in promptu hoſtias. Manſiſſe dehinc ritum, ut quavis hoſtia Aulide litari poſſit. *Pauſan. in Bœotic.*

TEMPORIS, QUANDO. Puta in CONVIVIIS.

Tradit *interpres Ariſtophanis in Plut.* templum Athenis fuiſſe τ̃ διὸς σωτῆρος, quem eundem quidam ἰλάδιον appellāt. Ejus mentionem facit *Athenæus in Dipnoſophiſtis, l.2.* addens olim fuiſſe morem, ut cibis appoſitis mox vinum indilutum infunderetur, quo nimirum declararent quanta vis eſſet boni Dei. Deinde cùm ſuo quiſque arbitrio diluiſſet, nomen Jovis Servatoris præfabantur, innuentes ita temperatum vinum, tutò, citràque noxam bibi. At *idem lib.11.* propemodum docet, & poſt cœnam à lotis manibus inferri ſolere calicem Jovis Servatoris, qui idem fuerit, cum eo, qui dictus eſt ἀγαθοῦ δαίμονος, Diphi-
D lum adducens auctorem, qui ſcripſerit in Sapphone:

Ἀρχίλοχε δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα
Μεστὴν διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.
Archiloche ſumito hanc tibi metanipridem,
Plenam Jovis Soteris optimi Dei.

Eraſmus in Adag.

Antiqui non guſtabant vinum, niſi priùs libaſſent alicui Deo, quo potus illius ceu pharmaci, ſibi innoxius eſſet, & ſalutaris. Athenis quidem undecimo menſis die immolabant vini primitias, eumque diem Pithœgiam appellabant. Aſt apud Bęotos ſeptimo menſis ineuntis die, ſacris peractis Bono dæmoni, guſtabant ab exorto Zephiro, quòd is ventus præcipuè ſuſcitet, moveatque vinum, adeò ut quòd illum effugerit, videatur jam duraturum. Menſis autem is vocabatur προστατήριος. *Plut.3.Sympoſ.7.*

VANDALI in conviviis, & compotationibus ſuis pateram olim certis verbis conſecrabant, ſub nominibus deorum, boni ſcilicet, atque mali: omnem proſperam fortunam à bono Deo, adverſam à malo dirigi petentes. Malum Deum lingua ſua Zcerneboch, hoc eſt, nigrum Deum, appellabant. *Crantz. lib.4.Vandaliæ, c.37.*

NUPTIIS. E

Protelia, quaſi præparatoria dicas, diem appellant, qua nuptam virginem parentes in arcem ducunt ad deam, & victimas ob conjugium, quod & τέλος dicitur, immolant. *Suid.*

Bœotis, & Locris nihil erat in ſponſalibus firmum, niſi priùs ſponſus, & ſponſa in ara Eucliæ virgini dicata, libarent. *Alex. ab Alex. lib.1.c.24.*

Cùm mas, & femina conjunguntur, adhibetur Deus Jugatinus. Si domum eſt ducenda, quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus. Ut in domo ſit, adhibetur Deus Domitius. Ut maneat, cum viro, additur dea Manturna. Ut ſine ulla difficultate virginitas auferatur, adeſt dea Virginenſis, & Deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Partunda, & Venus, & Priapus. *D. Auguſt. l.16. de Civ. Dei, c.9.*

Lactantius lib.1. Mutinum eſſe Deum ait, in cujus ſinu pudendo nubentes primò ſedeant, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur. Mutinus Priapus eſt, qui præſtet, ut in primo concubitu vir moveatur, virgo verò ne reluctetur: ut *Aug.* ſignificat *l.6. de Civ. Dei, c.9.* Feſtus auctor eſt, novam nuptam in lanata ſella ſollitam ſedere: vel quòd his veſtiebantur veteres, vel quòd lanificium profiteretur eſſe præſtatura. *Plutarchus in Problematis*, ſponſam inducentes, pellem ſubſternere, ipſam ſecum colum, & fuſum domo afferre ait.

ANCUS MARTIUS Fortunam Virili cognomento primus omnium dedicavit, quod fuit extra urbem ad Tiberis ripam: in quo mulieres, quæ nuptui dabantur, exutis veſtimentis omnibus conſpiciebantur, ne labe corporis, vel morbo ſponſus futurus deciperetur. *Alex. ab Alex. l.1.c.13.* F

MAGISTRATUS INITIIS.

Primo anni die menſe Hecatombeone, in ſenatum venientes Senatores Athenienſium unà ſolemne quoddam ſacrificium faciebant, quòd εἰσιτήρια nominarunt, votaque pro rep. ſuſcipiebant. Vota verò ſuſcepta à ſenatu eſſe ad Jovis Bulæi, & Minervæ Buleæ ſacella, quæ erant in curia, docet apertè Antiphon. in oratione de Choreuta. *Sig. l.2. de rep. Ath.*

Conſules, Prætores, Dictatores Rom. cùm inibant magiſtratum, Lavinii rem divinam faciebant pariter pena tibus, pariter & Veſtæ. Erant autem Penates dii, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Jupiter pro medio æthere, Juno imus aer cum terra, Minerva ſummus æther. *Macrob. l.3. Saturn. c.4.* G

CONSILIIS.

CHARONDAS Locrenſis, ut conſultantes, agenteſque aliquid à diis ſumant auſpicia, ſuis legibus ſanxit. Optimum enim eſt, ut parœmia fert, Deum cauſam, & auctorem eſſe illorum omnium. *Stobæus Sermone 42.*

AUGUSTUS CÆSAR, quò lecti, probatique Senatores, & religioſius, & minore moleſtia ſenatorio munere fungerentur, ſanxit: ut priùs quam conſideret quiſquam, thure, ac mero ſupplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur. *Suet.*

LOCI. UBI.

☞ *Vide, Templa ſuperſtitioſè culta.*

FINIS. CUR. CAUSA.

AGRORUM.

Romani veteres ruris deos maximè noverant, Sejamque à ſerendo, Segeſtam à ſegetibus appellabant, quarum ſimulacra in Circo videbantur. *Plin. lib.18.* H

Romani agrorum munus uni alicui Deo committere noluere: ſed rura, Deæ Ruſinę: juga montium, Deo Jugatino: collibus, deam Collatinam: vallibus Vallonam præfecerunt: Nec ſaltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui ſemel ſegetes commendarent: ſed ſata frumenta quàm diù ſub terra eſſent, præpoſitam voluerunt habere deam Sejam: cùm verò jam ſuper terram eſſent, & ſegetem facerent, deam Segetiam: frumentis verò collectis, atque reconditis, ut tutò ſervarentur, deam Tutilinam præpoſuerunt: cui non ſufficere videretur illa Segetia, quamdiù ſeges ab initiis herbidis uſque ad ariſtas aridas perveniret. Non tamen ſatis fuit hominibus deorum multitudinem amantibus, ut anima miſera dæmoniorum turbæ proſtitueretur, unius Dei veri caſtum dedignata complexum. Præfecerunt ergo Proſerpinam frumentis germinantibus: geniculis, nodiſque culmorum Deum Nedotum: involumentis folliculorum deam Volutinam: cùm folliculi pateſcunt, ut ſpica exeat, deam Patelenam, cùm ſegetes novis ariſtis æquantur, quia veteres æquare hoſtire dixerunt, deam Hoſtilinam: florentinus frumentis deam Floram lacteſcentibus
A deam Lacturtiam: matureſcentibus deam Maturam: cùm truncantur, id eſt, à terra auferunt, deam Runçinam. *Auguſt. lib.5. de Civ. Dei, c.8.*

DOMUS.

Unum quiſque domi ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo eſt, omnino ſufficit. At tres deos Romani poſuerunt. Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. *Auguſt. lib.4. de Civitate Dei, c 8.*

Pro equis Hipponæ votum fit: paſtores Pani deo pro pecoribus. *Alex. lib.3.c.22.*

Apud divæ Rumiæ ſacellum à Paſtoribus ſata ficus, ubi ſolebant ſacrificari lacte pro vino, & pro lactentibus: mammæ enim rumis, ſive rumæ (ut antè dicebant) à rumis: & inde dicuntur ſubrumi agni: lactentes, à lacte. Lacte autem de ramo fici coagulatur lac in caſeum. *Varro lib.2. cap.11.*

MULIEBRIUM.

JANUS, cùm puerperium concipitur, aditum aperit recipiendo ſemini, Saturnus ſemen retinet, Liber marem effuſo ſemine liberat. Libera quam & Venerem volunt, idem beneficium conferret feminæ, ut etiam ipſa emiſſo ſemine liberetur. Dea
B Mena menſtruis fluoribus præeſt, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis, ipſa ſcilicet Luna, quæ Græcè μήνη dicitur, ad cujus rationem menſtrua vel moventur, vel quieſcunt: ut *Ariſt. in lib. de Anima* ſcribit: quæ etiam eſt Jovis, & Latonæ filia: Junonem Fluonam mulieres colebant, quòd eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere dicerent. *Feſtus.* Vitumnus vitam, Sentinus ſenſus puerperio largiuntur. *D. Auguſt. lib.7. de Civitate Dei, cap.2.*

VARRO mulieri fętæ poſt partum tres deos cuſtodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen ſecuri ferire, poſteà pilo, tertio deverrere ſcopis: ut his datis culturæ ſignis, deus Sylvanus prohibeatur intrare: quia neque arbores cæduntur, ac putantur ſine ferro: neque far conficitur ſine pilo: neq; fruges coacervantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: Intercidonam à ſecuris interciſione, Pilumnum à Pilo, Deverram à ſcopis; quibus diis cuſtodibus contra vim dei Sylvani fœta conſervarentur. *D. Aug. lib.6. de Civ. Dei, cap.9.*

C
PEREGRINATIONIS.

Peregrinantes vota faciebant HERCULI. Sylvano quoque in ſingula boum capita, adoreo, lardo & vini ſextario, ſubtaxata menſura, votum fit. *Alex. lib.3.c.22.*

FURTI.

Fures Lavernæ olim vota feciſſe, ut fallerent, ex Horatio conſtat, ubi votum tacitum improborum explicat:

Pulchra Laverna
Da mihi fallere, da juſtum, ſanctumque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

MORBORUM, ET CUPIDITATUM ABIGENDARUM.

Romani malæ Fortunæ, Febri, templa, & aras erexerunt, item Pallori, & Timori, quaſi diis: ne quid obeſſent, neve aliquid incommodi adferrent, quos cane, & ove placarunt. *Alex. Ab Alex. lib.1.c.13.*

D
BESTIARUM ABIGENDARUM.

Oetæi HERCULEM Conopium, ne provinciam infeſtam culicibus redderet, venerati ſunt. Nam culices Oetæi conopas vocant. Apollo item culiciarius in Attica colebatur, quòd infeſtos culices ex agris propulſaret: & Ipoctonus Jupiter apud Erythæos, & Eythibius Apollo apud Rhodios habentur maximi. Erytbibam enim Rhodii rubiginem dicunt. Bœotii quoque Apollini Pornopioni ſacra facere dicuntur, ne muribus provinciam redderet obnoxiam Apud eos enim mus, pornopios nuncupatur, *Alex. l.1.c.13. & 15. ex Euſtathio.*

Alipheræ, in urbe Arcadiæ Deo cuidam MYRIAGRO rem divinam faciunt, proque hoſtiis heroem precari, & Myjagri nomine implorato, ſecuritatem ſibi fore inter immolandum ab omni muſcarum protervitate pro certo habent. *Pauſanias in Arcadicis.*

In Troade APOLINEM colunt Smiathium: quia τοὺς σμίνθους, hoc eſt, mures abegerit. *Euſtathius Iliados α.*

SUPERSTITIONE IN VOLUNTATE DIVINA EXPLORANDA PER ORACULA, Auguria, Signa quælibet divina. E

☞ *Ex Tit. Divinationis ſpecies, pleraque exempla huc poterunt transferri, reſpectu Praxeos: quæ illic cauſa Theoriæ recenſuimus.*

LYCURGUS Lacedæmoniorum legiſlator, non anteà multitudini leges exhibuit, quàm cùm præſtantiſſimis viris Delphos petens Deum rogaſſet, an eſſet futurum conducibilius, & melius Spartæ, ut legibus, quas ipſe tuliſſet, obediret. Cùm autem reſpondiſſet Deus, id prorſus melius fore, tum demum leges ſuas eis propoſuit: non modo iniquum, verùm & impium ſtatuens, ſi quis legibus Pythio roboratis oraculo minus paruiſſet. *Xenophon in Lacon. Rub. & Stobæus Serm.42. Plut. in ejus vita, Strabo l.16. Diod. Sicul. lib.3. Dion. Halicar. l.2. Juſtinus lib.3. Val. Max. lib.2.c.3.*

In magnis calamitatibus ſolebant Romani conſulere vates, & oracula, per quos deos poſſent liberari à malis, vel præſentibus, vel imminentibus: & cùm vates reſpondiſſent de peregrinis diis advehendis, ſedulò id curabant. Sic ad HANNIBALEM vincendum, & Romanum imperium amplian- F dum, magna Mater deum ex Phrygio Peſſinunte accita, & Romam tranſlata eſt, & magnifico templo honorata. Et ad peſtem abigendam Æſculapius, qui erat magna coluber, Epidauro Romam eſt adductus, & templo, & ſacrificiis cultus. *Arnob. lib.7. contra. Gentes.*

Iidem inſtructo exercitu deos primò omnium conſulebant mox auſpicato, & litato, ne incertis auſpiciis, & turbatis religionibus acies committerent, Solem venerabantur. *Alex. ab Alex. l.4.c.7.* Apud eoſdem ſponſa nequaquam ad ſponſum ducebatur, niſi priùs religionis ſtudiis intenta, in Futini dei gremio aliquamdiù ſediſſet, & proſperum nuptiarum eventum efflagitaſſet. *Alex. ab. Alex. l.1.c.24.*

NUMÆ POMPILIO cùm inſignia regni deferrentur, ſuſtinere juſſit, velle ſe deos de regno conſulere. Ita unà cum auguribus, & ſacerdotibus in Capitolium aſcendit. Tarpejum collem appellabant tunc Romani: ibi princeps augurum eum capite velato ad meridiem convertit, atque à tergo aſſiſtens dextra in capite Numæ impoſita, precatus eſt, & in omnem partem circumlatis oculis, ſi qua auſpicia, vel oſtenta dii darent, obſervavit. Mirum intereà tantæ multitudinis in foro ſtantis G ſilentium erat, expectantis & in eventum ſuſpenſæ, quouſque ſecundæ, & fauſtæ aves conſpectæ rem comprobaverunt. Tum Numa veſte regia indutus ex arce ad populum deſcendit, exceptuſque eſt, ut vir religioſiſſimus ſanctiſſimus plauſu, & complexu. *Plut. in Numa.*

ROMULUS, & REMUS, gemini ex Rhea Sylvia, per Martis (ut creditur) ſtuprum nati, cùm civitatem Romam condidiſſent, noluerunt alio modo, quàm per auguria urbi nomen imponere. Sed poſteaquam in auguratione Remo ſex, Romulo verò duodecim vultures apparuiſſent: Romulus augurio victor, urbi nomen dedit. *Liu. lib.1. Dec.1.*

Romana civitas, quæ arx fuit, & caput humanarum gentium, ſoricis occentum tam religioſè obſervavit, ut auditus dictaturam, & magiſterium equitum ſummis viris ademerit. Q. certè FABIO MAXIMO. dictaturam, & C. Flaminio magiſterium equitum occentus ſoricis deponendi cauſam dedit. *Plut. & Val. Max. lib.1.c.1.*

Q. FAB. MAX. Dictator, bello ſecundo Punico contra Hannibalem, patribus auctor fuit, ut decemviri Sibyllinos libros H inſpicere juberentur. Quorum monitu ipſe Erycinæ Veneri ædem volvit, Attilius prætor Menti. Sunt & Marti ſua vota nuncupata, & ver ſacrum Jovi votum, ſi reſp. in quinquennium eo, quo fuerat, manſiſſet ſtatu, ut quicquid ver unum ex Ovillo, ſuillo, & Caprino tuliſſet grege, id Jovi ſacrum eſſet. Supplicatio ad hæc, & Lectiſternium indictum. *Sab. lib.1. En.5.*

P. SCIPIO Africanus non priùs ad publica negotia ire ſolitus erat, niſi priùs in cella Jovis ſediſſet, mentemque divinam accepiſſet. Unde & Jovis filius appellatus fuit, *Liu. l.6. Dec.3. Plut. in ejus vita. Val. Max. l.1.c.3. Plin. de Viris illuſtr. c.49. Gel. l.7. c.1. Sab. l.4. En.5. Sylvius Ital. lib.13. & Appianus de bellis civ.* Sic quoque Neptunum ſibi apparuiſſe dicebat, & Carthaginem capi poſſe, auctore deo aſſerebat. *Polyd. lib.10.*

Dimicaturus acie L. PAULUS ÆMILIUS adverſus Perſen Macedoniæ regem, cùm prima luce Herculi ſacrificare cœpiſſet, nec litaret: religione perfuſus viginti hoſtias, una poſt alia,